EVCHARISTIÆ, SIVE DOMINICÆ COENÆ INSTITVTIO ADVERSVS MISOLITURGORUM, atque Caluiniſtarum blaſphemias ac impoſturas.

Nicolao Beguinio Rhemo autore.

Reliquam huius tractatus materiam, index proximus titulorum & capitum ſupplebit.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PARISIIS.
Apud Nicolaum Cheſneau, via Iacobæa, ſub ſcuto Frobeniano, & quercu viridi.
1564.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

.2. A. 9
op. 2

HIPPOLYTVS ANTI-quiſſimus Epiſcopus de conſummatione mundi.

Lugebunt etiam eccleſiæ luctum magnum: quia nec oblatio, nec ſuffitus fiet, nec cultus Deo gratus, Sed eccleſiarum ædes ſacrę tugurij inſtar erunt, pretioſúmque corpus & ſanguis Chriſti non extabit in diebus illis, liturgia extinguetur, &c.

NICOLAVS BEGVINIVS *Reuerendiſſimo domino Carolo Lotharingo Archiepiſcopo Rhemenſi, ac Presbytero Cardinali S. D.*

NEmo, vt opinor, eſt, Reuerendiſſime Præſul, qui aliquid ante hoc decennium ſaperet, rationémque ſecũ putaret, quin intelligeret, quàm vndoſum iam, quámque procelloſum eſſet noſtri ſeculi pelagus: & qui motus temporum, quanta confuſio rerum, ac perturbatio immineret. In eo itaque diſcrimine, cùm per ætatem variis cogitationum æſtibus fluctuarem, pro anima tum ſolicitus, eò tandem adductus ſum, partim veritatis inquirendæ ſtudio, partim verò infirmitate valetudinis diuturna, partim etiam rei forenſis tædio, vt priſtinũ ſtudiorum meorum curſum circa ius

pontificium, (cui tum Lutetiæ, tum Aureliæ, antea circiter quinquenniũ impenderam) eatenus animo retentum, nec ita longo interuallo intermiſſum, mutata velificatione repeterem. Ad quem vt aliquantum proceſſiſſem, profectò vt auidè, ita variè ſum affectus: dum intuerer, & mecum reputarem, ruinas tam fundatæ, támque authenticæ diſciplinæ. Vnde poſtea omnibus vndique ventis, qui per eos annos circa eam potiſſimũm agitati ſunt, erumpentibus: tum diuinas literas penitiùs ſcrutandi nobis etiam ſtudium extitit. Quo ſane quidem ita ſum incenſus, vt contemptis omnibus, & publicis, & priuatis actionibus, ad id me totum contulerim: idque eò libentiùs, cum cernerem, non tam otium mihi, quàm nego-

negotium quæſiiſſe: & quidem tametſi minimè quęſtuoſum, longè tamen vtilius, & ad hominum incolumitatem accommodatius, quàm in quo fueram anté verſatus. Deinde verò ratus nihil tam authori omniũ Deo gratum eſſe, quàm dare operã, vt homines & ſapientiores & meliores euaderent: animum denique ad ſcribendum appuli, à tractatione canonum Apoſtolicorum exorſus, quos exoletos conquererer, in priſtinum ſtatum reſtitutos percuperem. Porrò ab hoc noſtro cœpto, ad inſtitutionen huius tractatus, poſtremò me reuocauit, cùm ſtatus inſtantium temporum, tum ſpes propediẽ habendi œcumenici concilij: dum viderer patribus gratum facturus, ſi poſſem rem meo quidem iudicio, vt omnium abſtruſiſſimam, ita omni-

bus pene, tam antiquis, quàm recentioribus patrum conciliis repetitam agitatámque prodere: id eſt, ſi apoſtolicam annui menſtruíque cur[illegible]culi, ſimul & paſchalium temporum rationem, tanto interuallo deſyderatam, tandémque à nobis per patres (niſi omnia me fallunt) recuperatam, patribus etiam vel in vnum coactis, poſſem reſtituere. Hac enim potiſſimum ratione, hoc opuſculum à me ſuſceptum eſt. In quo quid præterea à nobis præſtitum ſit, vtique & modeſtiæ noſtre ſit tacere, & tuæ prudẽtiæ decernere. Quin iſtud abs te petã potiùs, vt ſi quid à nobis in eo peccatum eſt, pro tua humanitate ei ignoſcas, qui prædicationem tuam Euangelicam nulla ex parte lędere, ſed ſi tibi videtur, pro virium modulo iuuare ſtatuit. Ergo noſtrorum epi

ſcopo

ſcoporum decus, tractatum hunc quem ęquo iure, cùm è tuorum numero ſim, tibi nuncupo, ſuſcipias atque excutias velim: vt ſi tibi vtcunque probatur, mihíque permittis (cũ aliter nec velim, nec debeam) interpoſito tum demum tuo iudicio atque authoritate, ſic in manus hominum perueniat. Sin minus: vt intra domeſticos parietes recõdatur. Deus, reuerendiſſime domine, tuum ſibi obſequendi deſyderium expleat: & te iterum iterúmque incolumen cuſtodiat. Amen. Durocottori Rhemorũ, anno domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo, die ſeptima menſis 12.

EXTRAICT
du Priuilege.

LE Roy a permis à Iean de Foigny, imprimeur à Rheims d'imprimer vn liure intitulé Euchariſtiæ, ſiue Dominicæ cœnæ inſtitutio: &c. Per Nicolaum Beguinum Rhemum &c. *Veu & approuué par la faculté de Theologie dudict Rheims: & defendu à tous imprimeurs, Libraires & autres, d'imprimer, vendre ny diſtribuer aucuns dudict Liure, ſans le conſentement dudict Foigny, iuſques au temps & terme de huict ans, ſur peine de Confiſcation &c.. & d'amende arbitraire: comme plus à plein eſt cõtenu aux lettres de priuilege ottroyées audict de Foigny, à Rouen, le penultieſme d'Octobre 1562.*

Signees.

LE PARCHEMINIER.

Titulorum & capitum horum trium librorum index.

DE RATIONE PASchatis Dominici liber primus.

PRÆFATIO.

Cap. 1.

DE Paſchate, eiúſque ſpeciebus, déque paſchali lege Hebræorum. pag. 1.

Cap. 2.

De dominico Paſchate, déque eius immolatione. pag. 7.

Cap. 3.

Quòd cœna dominica Moſaico Paſchati reſpondeat. pag. 10.

* Cap.

Cap.4.
Quòd Euchariſtia, ſeu cœna Dominica, nec ſignificatio, nec figura, nec panis ſit: ſed ſacrificiũ. pa.18.
Cap.5.
Quòd Euchariſtia Paſcha ſit, & incruenta hoſtia. pag.24.
Cap.6.
De teſtimoniis veterum. pag.29.
Cap.7.
De ratione dominici Paſchatis, & incruentæ hoſtiæ veterum teſtimonia: déque ſpeciebus immolationis. pag.40.

DE TEMPORIBVS Dominici Paſchatis liber ſecundus.

Præfatio. pag.45
Cap.1.
De Apoſtolico canone temporum

Paſ

Paſchalium. pag. 48

Cap. 2.

De Patrum ſanctionibus circa Paſchæ tempora: & de ſectis veterum. pag. 60.

Cap. 3.

De recentiorum circa Paſchæ tempora controuerſiis. pag. 69.

Cap. 4

De Iulij Cæſaris, Cæſarianorúmq; errore, circa rationem menſtrui annuíque curriculi. pag. 73.

Cap. 5.

De falſa Cæſarianorum ſententia, déque vero temporũ, aſtrorúmq; curriculo diuina teſtimonia. pa. 85.

Cap. 6.

De teſtimoniis veterum. 91

Cap. 7

De annuo menſtruóq; curriculo: déque eius conuenientia cum Vi-

ctorino canone: & vero abſolutóque temporum circulo: & æquinoctio verno. pag.96.

❦DE LOCO PASCHATIS dominici, id eſt, de templo: de liturgia: déque Chriſtianorum conuentu liber tertius.

Præfatio. pag.108

Cap.1.

De templis Chriſtianorum, eorúmque partibus. 110

Cap.2.

De Caluinianorum errore circa ritus dominici Paſchatis. 124

Cap.3.

De etymologia Miſſæ nominis: de liturgia, eiúſque partibus: déque veterum teſtimoniis: 131

Cap.4.

De cęremoniis liturgię antiquis. 138

Cap

Cap. 5.

De priſcis aliis liturgiæ cæremoniis, iiſque ferè neglectis. 146
Peroratio operis. 161

❧ Conciliorum atque Scriptorum catalogus, qui hoc volumine citantur.

Canones Apoſtolorum.
Conciliũ Nicenum ſub Syluestro.
Cõcilium Romanũ ſub Syluestro.
Conciliũ Gãgrenſe ſub Syluestro.
Synodus Antiochena ſub Iulio 1.
Cõcilium Laodicenũ ſub Liberio.
Concilium Bracarenſe ſub Honorio 1.

Scriptores eccleſiaſtici Latini.

Martialis vnus è ſeptuaginta duobus domini diſcipulis.
Clemens B.Petri ſucceſſor.
Anacletus Clementis ſucceſſor.
Alexand.5.Roman.pont.
Sixtus 6.Roman.pont.
Teleſphorus 7.Roman.pont.

Soter

Soter 11. Rom.pont.
Victor 13.Rom.pont.
Fabianus 19.Rom.pont.
Irenæus anno dom.185.
Tertullianus 211.
Cyprianus 249.
Stephanus 22.Rom.pont.
Lactantius 320.
Auguſtinus 398.
Innocentius Rom.pont.405.
Leo primus 443

Scriptores eccleſiaſtici Græci.

Dionyſius Areopagita Pauli diſci-
pulus.
Abdias Simonis & Iudæ Apoſt.
diſcipulus.
Ignatius Ioannis diſcipulus.
Iuſtinus martyr 152.
Clemens Alexandrinus Origenis
præceptor 197.
Hyppolitus epiſcopus 220.

Orige

Origenes 232.
Aphricanus 229.
Euſebius Cæſ.epiſcopus 320.
Athanaſius 333.
Theophilus Alexādrinus epiſc.395
Theodoritus 431

Scriptores Iudæi.

Rabbi Cahana } ante Chriſti ad-
Rabbi Iehuda } uentum.
Philo Apoſt.temporibus.

Scriptores Latini recentiores.

Dionyſius Abbas Rom.
Alex.ab Alex. Blondus.
Ioan.Stophlerus.
Ioan.Fernelius.
Sanctes Pagninus.

Scriptores Ethnici.

Plato. Iulius Cæſar.
Cicero.
Ptolomæus.
Plinius.

DE RATIONE PASCHATIS DOMINICI LIBER PRIMVS.

PRÆFATIO.

CVM EORVM ingenia qui ſe veritatis ſcientiam tenere arbitrantur, quam tamen à patribus, maioribúſque noſtris non dedicerunt, mirari ſoleam: tum noſtrorum maximè admiratione commoueor, qui neglectis non ſolùm veterum religionis noſtræ antiſtitum, ſed ſacræ quoq; paginæ monumentis, ſcientiam ſiue bene diſſerendi, ſiue rerum naturalium, ſiue etiam ſublimium, ex ſecularium philoſophorũ decretis ſibi vſquequaque de-

promendam eſſe opinantur: tanquam ſi ab earum artium vſu & tractatione illa omnino vacua & nuda ſint: aut etiam quaſi veritatis ſciētia propriis ſenſibus atque humano ingenio comprehendi poſſit. Etenim nemo (vt opinor) dialecticorum eſt (vt illud ex multis vnum exēpli gratia dictum ſit) qui non vel prætermiſſa, vel ſaltē poſtpoſita quęſtionum ratione & methodo, diſſerendi artem ſtatim ab inuentione inchoandam eſſe iudicet: cùm tamen ſic nos ipſa veri-
Mat. 7. tas inſtruat, Quęrite, & inuenietis: & rurſus, Omnis qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: tanquam inuētio plana & aperta futura ſit, modò examen quæſtionum recto ordine ponendarum, primum locū obtineat: cùm videlicet iis, de
qui

quibus diſceptatio inſtituitur, pręcipuum inuentionis lumen adhibeat. Quod autem ad naturæ artē attinet, quotuſquiſque næoterico rum eſt, qui ſemen non è ſanguine natum exiſtimet, vndę conſanguineus nuncupatur qui alteri cognatione coniunctus eſt? Quod ſi ita eſt, quomodo apud Moſem dictū reperitur, Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea? Item, Reges de lumbis tuis egredietur? Rurſus quoq; : Adhuc enim (Leui ſcilicet) in lumbis patris erat, quādo obuiauit ei Melchiſedec? Ex quibus, vt à maioribus noſtris annotatū eſt, ſemen è medullis exiſtere manifeſtum eſt? Denique, vt vel vnicum etiam de Mathematicis exemplum proferamus : quiſnam aſtrorum curſus noſtris videtur?

Gen. 2.
Gen. 35.
Heb. 7.

Nonne vniuerſi paſſim vel aſtrologi, dum circa ſecularem magis, quàm circa dominicam philoſophiam adhæreſcunt, annum credunt à mēſe, quem Ianuarium vocant, incipere? & 365. dierum eſſe cum quadrante? menſes verò dierum numero, alios aliis maiores? & æquinoctiū ſeu etiam ſolſtitiū nunc hoc, nunc illo die exiſtere? & Cyclum (vt vocant) vndeuiginti annorum, perfectiſſimum? ac deni que ſuum numerum, quem ad nouilunium quodque inueſtigandū commenti ſunt, aureum eſſe cenſent? cùm tamen diuerſam prorſus rationem nobis ſcripturæ authori tas inſinuet: ſicut infra ſumus demonſtraturi. vnde paſchatis ſolen nia contra eccleſiaſticam regulam alio atque alio menſe videlicet ab

11. Cal.

11.Cal.April.in 7.Cal.Maij celebrari cernimus? Quid verò ab ipſis prope eccleſiæ primordiis, ad hæc vſque tempora, crebriùs in diſceptationem controuerſiámque vocatum eſt, Latinis Epiſcopis initiò ea lege dominicum paſcha obſeruantibus, qua cauetur vti à quartadecima luna primi menſis, qui Hebręis Niſan, Ethnicis verò Martius dicitur, vſque ad 21.diem eiuſdem menſis celebretur? tum deinde in eam fere nonnihil Aſtrologorum imitatione committentibus? Aſiaticis verò vt plurimùm Iudæorum more? aliis autem aliter atque aliter? Aut quid hac paſchatis materia à ſcriptoribus magis frequentatum eſt? Atque vtinam de eo ſaltem extarent monumenta veterũ. Neque iſtud cuiquam forſan mi- Victor epiſt. ad Theodor. Epiſc.

rum videatur, cui noſtri paſchatis myſterium compertum ſit, vt cætera omittam, quæ tum de eo variè agitata ſunt, præſertim Victoris & Sylueſtri Ro. pontificũ tẽporibus. Quin potùis reformidãdi cauſam habeat: dũ ſe non à dominico præcepto tantùm receſſiſſe, ſed à brutis quoque animantibus redargui intelligat, dicẽte domino per Hie-
Hier. 8. remiam prophetam: Miluus in cælo cognouit tempus ſuum, Turtur & Hirũdo & Ciconia cuſtodierũt tempus aduentus ſui: populus autẽ meus non cognouit iudicium domini. Quomodo dicitis, Sapientes nos ſumus, & lex domini nobiſcũ eſt? verè mendacium operatus eſt ſtilus mendax ſcribarum: confuſi ſunt ſapientes, perterriti & capti ſunt. Verbum enim domini proiecerunt

cerunt: & ſapientia nulla eſt in eis. Vt hæc ergo interim ex multis pauca, à nobis demonſtrata ſunt: vtiq; temporum noſtrorum rationem mecum ſubinde reputanti mihi in mentẽ venit id philoſophorũ ſeculũ: quo increbreſcẽtibus indies Græcorum diſciplinis, profectum vnũ è ſeptem ſapientibus in Ægyptum, Solonem nomine, his apud Platonem verbis, notaſſe fertur ſacerdos quidã Ægyptius, & is quidem valde ſenex. O Solon, ſolon, Græci pueri eſtis ſemper: nec quiſquam Grçcus eſt ſenex. Tum rogãti ei cur hæc dixiſſet, reſpondiſſe, pueri eſtis animis omnes: quippe qui antiquam nullam habeatis ex veteri auditione & expoſitione ſententiam. Etenim quemadmodum tum Græcorum philoſophi, valde

Lib. 5. de natura.

à ger

à germana illa & incorrupta antiquiſſimorum philoſophorum diſciplina degenerabant, cùm maximè tum orationis ſplendore, tum rerum & ſententiarum pōdere, totam philoſophiam non illuſtraſſe modò, ſed & excitaſſe viderentur. Sic nunc profectò noſtræ ætatis literatores: nec mirum, cùm ſint illi Græcarum diſciplinarum magis, quā Chriſtianæ philoſophiæ, quæ ſola quidem antiqua eſt, æmuli. Nam quòd ad illorum mores attinet quid à philoſophis illis diſcrepant, quorum (vt cum Cicerone loquar) videre liceat, alios tanta leuitate & iactatione, his vt fuerit non dediciſſe melius? Alios pecuniæ cupidos, nonnullos gloriæ, multos libidinum ſeruos: raros verò qui cęteris omnibus pro nihilo habitis,

Libro 1. & 5. Tuſcul. quæſt.

rerum

rerum naturam,(aut potiùs naturę authorem) ſtudiosè intueantur? quod qui faciunt, & ſapientiæ ſtudioſi,& philoſophi habentur? Atque hinc efficitnr illud, vt eorum diſciplina, nullis propè ordinis legibus,aut rationibus progrediatur: aut ne in veri demonſtratione, ſed in coniecturis potius, & opinatione verſetur. Quid quòd aliorum ſcriptis ſemper aut addunt aliquid, aut detrahunt, vt ſui aliquid videã tur afferre, plerunque recta mutantes? putántque tantò plus honoris ſuo operi accedere: quantò magis alieno labori detraxerint? hinc denique fit,vt in ipſis alienorum operum animaduerſoribus, ſemper aliquid animaduerſione dignum reperiatur. Sed ideo certè à via veritatis aberrant;: quòd exiſtimantes

ſe ſcire aliquid, nondum (vt ait di-
.cor.8 uinus Paulus) quemadmodũ eos
ſcire, id eſt, qua mẽte, à quo, & qua
methodo eos diſcere oporteat co-
gnouerunt. Qui etſi intelligunt,
perturbatione rationis atque ordi-
nis, peccari quicquid peccatur:
ignorant tamen quomodo bene
rationem adhibeant, vnde cernitur
quid verum rectúmque: qua negle
cta atque ignorata, multis illos er-
roribus implicari neceſſe eſt. Atq;
hæc eò dico, minimè quidem cer
tè reprehendẽdi ſtudio, quis enim
ſum ego? ſed vt omni errore præ-
ſumptæ opinionis depoſito, repu-
diatíſque iſtiuſmodi philoſopho-
rum placitis, deinceps maiorũ no-
ſtrorum monumenta in vſum ve-
lut poſtliminio reuocentur. Atq;
adeo, vt cùm vera quiſque didice-
rit

it:falſa fictáque declinare in poſterum enitatur. Porro quid attinet philoſophos,cũ ſatis ſuis ipſorum armis oppreſſos, tum veterũ tot in eam rẽ deſtinatis operibus, iam olim dãnatos redarguere? At dicet aliquis, quæ via ergo diſcere volenti tenenda eſt? Animaduertat qui iſtud requirit, agro mẽtem hominis eſſe ſimilem:qui illaboratus,neceſſariò rubis ac ſentibus occupatur. Quocirca quemadmodũ ager, primum omnium extricãdus eſt:ita etiam mentem eſſe oportet omni nequitia liberam, tum recto diſcendi ſtudio præditã, deinceps ad diſſerendi artem non tritam illam vero,cõuertendus eſt animus. In primis enim, quærendi ordo diſcendus eſt: vt interrogandi reſpõdendíque diſciplina, quæ vtique

dialectica eſt, demum teneatur. Quod ſi hoc iuſtitiæ tramite, interim implorata paſſim diuina ope atque miſericordia, per ordinem rerum ſcientia perquiratur, non erit inanis tum, vt ſpero, quærentis labor: quin inuentio vtique facillima comperietur. Si tamen ex eo requiratur, cui à Deo cõcredita ſit.
Lactan diuinar. inſtitut. lib. 4 Cap. 3. Neque enim apud nos, vt apud Ethnicos, alij ſunt ſapientiæ profeſſores, alij verò religionis antiſtites: ſed iidem ſunt doctores ſapiẽtiæ, qui & Dei ſacerdotes.
Mala. 2 Labia etenim ſacerdotis (vt diuinæ literæ teſtantur) cuſtodiunt ſcientiam: & legem exquirunt de ore eius. Sed rurſus quærat aliquis, vnde igitur ſcientiam vllam conſequemur: Cũ omnes penè ſacerdotes, vno eodémque ignorantiæ morbo laborent?

ent? Quid habent quæſo, quod querantur, qui tales paſtores nacti ſunt, quales aut poſtularunt ipſi, aut ſaltem admiſerunt? ac forſan ſui ſimiles, iuxta Prophetæ vaticinium, Et erit ſicut populus, ſic ſacerdos? vnde verò ſacratiſſima illa comitiorum, id eſt ſapientiſſimi cuiuſque eligendi ratio, & conſuetudo ſublata eſt: vt cætera omittam, quę penè infinita ſunt, quibus coargui poſſit, noſtra culpa nos in eam calamitatem incidiſſe? Quanquā Dei benignitate, nōdum ita deplorata res eſt: vt ſal terræ prorſus euanuerit. Satius itaq; ſit, longéq; tutius, ſibi ab iſta alterius notandi licentia, animaduerſionéque cēſoria temperare: & increpanti ſe Apoſtolo, aurem accommodare dicenti, Tu quis es qui iudicas alienum ſer

Oſee 4.

Paul ad Rom 14

ſeruũ? domino ſuo ſtat aut cadit: ſic
que patienter ferre, quos ſummus
ille nauis eccleſiaſticæ dominus to
lerat: cui talium miniſtrorum indi-
gnitas, ſi cuiquã alij, credo inuiſiſ-
ſima eſt. Iam verò quod quærit is,
vnde ſcientiam vllam conſequa-
mur: ex iis inquam Chriſti ſacerdo
tibus, quorum monumenta authẽ
tica ſunt: & communi veterum cõ
ſenſu comprobata. Porro quid at-
tinet, ſingulos quoſque Chriſtianę
philoſophię apices cognoſcere? Mi
ra ſanè quidem eſt humanæ men-
tis & curioſitas, & arrogãtia. Quid
enim (verbi gratia) opus eſt homini
bus ſcire, quomodo factus ſit mun
Libr 3. Recog. dus, vt Clemẽs ex Petro refert? hæc
enim diſcenda neceſſariò videren-
tur, ſi ſimile ineundum nobis eſſet
artificium. Nunc autem ſufficit nõ
bis

bis ad cultum Dei, vt ſciamus quia ipſe mundum condidit. Quomodo autem fecerit (vt ait ille) minimè quærẽdum eſt: quia vt dictum eſt, non nobis imminet, tanquam ſimile facturis, artis ipſius ſcientiam diſcere. At in ſumma, noſſe ſufficiat quid eſt bonum: & cùm inuenerimus, facere, hoc enim eſt pro quo iudicandi ſumus. Cùm itaque huius noſtri ſeculi, quod quãtum vnquam aliàs, cernebam grauiter afflictum, eccleſiis in fide & doctrina maiorum permanentibus, pro virium modulo ſubuenire, & opitulari vellem: viſum eſt in primis tractatum hunc de paſchate dominico, vt ad hæc noſtra tempora accõmodatiſſimum inſtituere: vnde videlicet liceat, & præcipuam totius mali labem, & priſcos Liturgię ritus

tus, partem totius religionis potiſſimam agnoſcere. Quod vt prȩſtaremus, conſulto prætermiſſis recẽtiorum teſtimoniis: in eum tantũ vetuſtiſſimorum quorumque authoritatem adhibuimus. Illum verò in tres libros ſumus partiti. Primus eſt de oblatione paſchatis: vbi de agno typico, de agno item vero & germano, déque Euchariſtia panis & poculi, & ſacrificio. Secundus de tempore paſchatis: vbi de annuo menſtruóque dierum curriculo, déque Cyclo aureo, de lunæ ſpatio, & æquinoctij verni tempore. Tertius de loco, id eſt de templorum ratione: de liturgia & eccleſiæ miniſtris, déque oblationibus quæ fiunt inter miſſarum ſolennia, ac de cõmunicatione panis & poculi. Interim admonitum pium lectorem

ctorem velim, vti ne eccleſiaſtica decreta, ad normam legum ciuiliũ examinanda eſſe exiſtimet: qua leges poſteriores derogãt prioribus, ſed vt priſcorum ſcripta, quorum authoritas comprobata ſit, recentiorum ſcriptis perpetuò anteponat: ſic enim forſan, minimè ſuo labore fraudabitur: tanquã qui ſemper diſcat, vt diuinus Paulus ait, Et nunquã ad ſcientiam veritatis perueniat. Si tamẽ ſingula quæque ordine perſequatur atque methodo. Cæterũ, nemo à me ſermonis ornatũ, nemo ſplendorẽ orationis, aut dicẽdi facultatẽ requirat.: ſed rerũ, quiſq; fidẽ, rationẽq; magis intueatur: quã ſi fuerim⁹, vt ſperamus, cõſecuti, videbimur tũ noſtro quidẽ munere nõ incõmodè pfuncti: iſta interĩ relinquẽtes, plauſum magis, quã ꝑublicã vtilitatẽ quęrentibus.

Victor epiſt. ad Theophil. Epiſc.

CAPVT PRIMVM DE PASCHAte, eiúſque ſpeciebus, déque Paſchali lege Hæbreorum.

PASCHA non vt quibuſdam videtur, Græca dictio eſt, ſed Chaldaica: quæ idem quod trāſitus ſignificat. Cùm autem tam ad feſtum diem Paſchatis, quàm ad victimam tranſitus domini pertineat, tum duplex eſſe conſtat: alterum Moſaicum, Dominicum alterum. Illud quoque typicum, hoc autem verum & germanum. Sic dictum (vt Philo vir doctiſſimus ſcribit) quòd inhæſitanter cum ſum- Libr. de migrat. Abrah.

ma alacritate, mens ab affectibus, continuato curſu, tranſmigret ad gratiarum actionem pro ſalute accepta à Deo, qui nec opinantẽ vindicauit in libertatem. Iam vtrunq; quale ſit, quóque ritu celebrandũ, conſyderandum eſt. Ac de typico, priore loco dicendum. Moſes itaque qui primus, & propheta, & lator legis extitit, hebræos à graui illo ſeruitutis iugo quo ab Ægyptiis premebantur liberaturus: legem de Paſchate tulit, qua agnum iuſſit immolari ab vniuerſo cœtu filiorum Iſrael. Eſt autem eiuſmo-
Exo. 12 di. Menſis iſte, dixit Dominus ad Moyſem & Aaron, vobis principiũ menſium, primus erit in menſibus anni. Loquimini ad vniuerſum cœtum filiorum Iſrael, & dicite eis: decima die menſis huius, tollat vnuſquiſque

quiſque agnum per familias & domos ſuas. Sin autem minor eſt numerus, vt ſufficere poſſit ad veſcẽdum agnum, aſſumet vicinũ ſuum qui cõiunctus eſt domui eius, iuxta numerum animarum quæ ſufficere poſſunt ad vſum agni. Erit autem agnus abſque macula: maſculus anniculus. Iuxta quem ritum tolletis & hœdum. Et ſeruabitis eum vſque ad quartamdecimam diem menſis huius: immolabítque eum vniuerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam. Et ſument de ſanguine eius: ac ponent ſuper vtrumque poſtem, & in ſuperliminaribus domorum in quibus comedent illum. Et edent carnes nocte illa aſſas igni: & azymos panes cum lactucis agreſtibus. Non comedetis ex eo crudũ quid: nec coctum

aqua,ſed aſſum tantùm igni. Caput cum pedibus eius & inteſtinis vorabitis, nec remanebit quicquam ex eo vſque mane. Si quid reſiduũ fuerit,igne comburetis. Sic autem comedetis illum,Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus,& comedetis feſtinanter. Eſt enim phaſe, id eſt tranſitus Domini. Et tranſibo per terram Ægypti nocte illa: percutiámque omne primogenitum in terra Ægypti,ab homine vſque ad pecus: & in cunctis diis Ægypti,faciam iudicia ego dominus. Erit autem ſanguis vobis in ſignum, in ædibus in quibus eritis: & videbo ſanguinem, ac tranſibo vos, nec erit in vobis plaga diſperdens, quando percuſſero terram Ægypti. Habebitis autem hunc diem

diem in monumentum: & celebra bitis eam ſolennem Domino in ge nerationibus veſtris cultu ſempiter no. Septem diebus azyma comede tis: in die primo non erit fermentũ in domibus veſtris. Quicunque co mederit fermentum, peribit anima illa de Iſrael, à primo die vſque ad ſeptimum diem. Dies prima erit ſancta ac ſolennis: & dies ſeptima eadem feſtiuitate venerabilis. Nihil operis facietis in eis, exceptis iis quæ ad veſcendum pertinent: & obſeruabitis azyma. In eadẽ enim die, educã exercitum veſtrũ de terra Ægypti: & cuſtodietis diem iſtũ in generationes veſtras ritu perpetuo. Tum ſub finem eiuſdem cap. Dixítq; Dominus (inquit) ad Moyſem & Aaron: Hęc eſt religio phaſe. Omnis alienigena non comedet

ex eo,

ex eo, omnis autem ſeruus emptitius circuncidetur, & ſic comedet: aduena & mercenarius non edent ex eo. In vna domo comedetur: nec efferetis de carnibus eiũs foras:nec os illius confringetis. Omnis cœtus filiorum Iſrael faciet illud. Quod ſi quis peregrinorum in veſtram voluerit tranſire coloniam, & facere phaſe domini, circuncidetur priùs omne maſculinũ eius : & tunc ritè celebrabit,erítq; ſicut indigena terræ. Si quis autem circunciſus non fuerit : non veſcetur ex eo. Eadem lex erit indigenæ & colono, qui peregrinantur ad vos. Hæc Moſesde ſuo Paſchate : nunc de Dominico diſſerendum eſt.

CAPVT SECVNDVM DE DOMINICO PAS-chate, déque eius immolatione.

AGE nunc quantum vires ſuppetunt, conſyderemus prout à patribus accepimus: quodnam dominicum Paſcha ſit. Quod vt per ordinem inquiramus: principio cõſtat, Chriſtum legem Moſaicam cõpleuiſſe. Sed illud quoque indubitatum eſt: quòd Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Iam de immolatione omnis controuerſia eſt: noſtris myſticam & incruentam etiam immolationem, præter eam quæ in cruce patrata eſt ſtatuentibus, aliis verò eam negantibus. Et ſi quidem crucis tantùm immo

latio recipitur, quomodo Chriſtus Paſchatis legem adimpleuiſſe dicitur, qui nullam prorſus cruentę immolationis legem ſanciuerit? Si crucis tãtùm immolatio recipitur, cùm vniuerſa multitudo filiorum Iſrael agnum immolare iuſſa ſit: quænam inter Chriſti diſcipulos Chriſtianóſue, qui ſpiritales Iſraelitæ ſunt, immolatio proferatur? Si crucis tantùm immolatio recipitur: cùm Hebræi iuſſi ſint agnum quartadecima die primi menſis ad veſperum, id eſt, initio diei immolare: quomodo Chriſtus eiuſdem diei hora nona, id eſt, quoad nos hora tertia pomeridiana morti ſeſe obtulit? Si crucis tantùm immolatio recipitur: qua in parte ſui obitus, lex à Chriſto impleta reperiatur, qua Moſes vtrumque ſingularum

rum ædium poſtem, cùm ſuperliminari ſanguine perfundi voluit? Si crucis tantùm immolatio recipitur: vbi item lex à Chriſto cõpleatur, qua Moſes eſum carnium, cum panibus azymis imperauit? Si crucis tantùm immolatio recipitur: qua in parte illud completum doceatur, vbi vetuit Moſes, quicquã è carnibus in lucem vſque reſeruari? Si crucis tantùm immolatio recipitur: vbínam iuſſit Chriſtus, hunc diem celebrari cultu ſempiterno, haberíque ſolennem Domino? aut primum diem azymorum? aut etiã ſeptimum? Qua verò in parte illud conſtet: Omnis alienigena ex agno non comedet? Aut illud: In vna domo comedetur? Nec efferetis de carnibus eius foras? Aut denique illud: Omnis cœtus filiorum Iſrael

 faciet

faciet illud? Si verò immolatio illa, qua Chriſtus ab Apoſtolo immolatus dicitur, etiam de incruenta, & quæ in cœna Dominica contigit, intelligitur: Lex credo Dominici Paſchatis, conuenire cum lege Moſaica tum demum comperietur.

CAPVT TERTIVM, QVOD COENA DOMINICA Moſaico paſchati reſpondeat.

HIs animaduerſis, conſequens eſſe videtur: vt de conuenientia cœnæ Dominicæ, cum Moſaico Paſchate diſſeramus. Porro vt Moſes ſui Paſchatis legẽ tulit, ſui quoque: id eſt, cœnæ Dominicæ, legem

tulit

tulit Chriſtus:cùm ait,Niſi mandu caueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem,non habebitis vitam in vobis. Aut quemadmodum tum quiſque, pro ſacerdote(à quo aliàs victima mactari ſolebat)ſeſe gerens, hoſtiam ſacrificabat: ſic nos nimirum ſacerdotis miniſterio quatenus corpus Chriſti & membra de membro. Etenim eo vtique ſenſu,& nos (vt Iuſtinus philoſophus & martyr ſcribit)& ij qui Ieſu nominę, vt vnus homo omnes futuri ſunt, propter rerum omnium parẽtem Deum, vnigenij eius filij nomine, ſordidis veſtibus, id eſt peccatis exutis, & detractis,illius vocationis verbo inflammati & incenſi, pontificium ſacerdotaléque verum genus ſumus: vt etiam Deus ipſe teſtis eſt, qui ait, In om

Ioan. 6.

Dialog. aduerſus Iudæos.

In omni loco, in gentibus hoſtias acceptas, gratáſque immolari. Neque verò à quoquam Deus hoſtias accipit: niſi à ſuis ſacerdotibus. Itaque omnia ſacrificia, quæ ſuo nomine facienda Ieſus Chriſtus tradidit: id eſt, in Euchariſtia panis & poculi, quæ in omni loco à Chriſtianis fiunt, præoccupatione vſus Deus, ſibi grata eſſe teſtatur. Hæc Iuſtinus, item Martialis vnus è 72. Domini diſcipulis: Quod Iudæi (inquit) per inuidiam immolauerunt, putantes ſe nomen eius è terra abolere, nos ſalutis noſtræ cauſa in ara ſanctificata proponimus: ſciẽtes hoc ſolo remedio, & mortem effugandam, & vitam præſtandam. Hoc ipſe dominus noſter iuſſit nos agere, in ſui commemorationem. hæc Martialis. Sed cùm

Ad Burdegal. cap. 3

Hebræi

Hebræi paſcha, iuxta legem quartadecima die primi menſis ad veſperum manducauerint: nónne ſimiliter etiam Chriſtus, cum diſcipulis cœnam celebrauit eodem tẽporis articulo? Ac veluti Moſes vtrumque ſingularum ędium poſtẽ, cum ſuperliminari ſanguine perfundi voluit: nónne Chriſtus ſimiliter, cùm ait, Bibite ex hoc omnes? Mat. 26
Atque vt ne iſtud, ad legem Moſaicam parum quadrare quis exiſtimet: vetuſtiſſimi quique huius myſterij interpretes audiẽdi ſunt. Myſterium quidem ouis (inquit Iuſtinus) quæ iuſſu Dei in die feſto paſchæ immolabatur, exemplũ quoddam & figura Chriſti erat: cuius ſanguine, fidei quæ illi habetur ratione & nomine, domos ſuas, id eſt ſeipſos vngunt & perfundũt ij qui Dialog. aduerſus Iudæos.

Serm. de cœna dom. ei credunt. Tum Cyprianus, Nobis itaque inquit, pro quibus ſanguis Chriſti oblatus eſt in cruce: & quos reconciliauit Deo omnes excedẽs victimas, hoc ſacrificiũ ſingulare, ipſe Chriſt⁹ pincerna porrexit hoc poculũ, & docuit vt nõ tãtũ exteriùs hoc ſanguine liniremur: ſed & interiùs, aſperſione omnipotẽti anima muniremur, & penetrãs omnia tanti medicamẽti virtus, quicquid eſſet intus ibi durum, effugaret & renouaret, ſanarétque quicquid morbi carni vel ſpiritui veteris vitæ adlinierat corruptela. Hæc Cyprianus. Sed dicet forſan aliquis, quid quòd illa perfuſio ſanguinis, ſeorſum fiebat à cœna Moſaica? Atqui pariter quoque apoſtolos, ſanguinem Chriſti bibiſſe legimus à cœna Dominica, Luca Paulóque

teſtibus

teſtibus:his verbis, Accepit ſimili- Luc 22.
ter & calicem, poſtquam cœnauit, 1.Cor.11
dicens: Hic calix nouum teſtamen
tum,in meo ſanguine,&c. Quòd ſi
vlterius quis progrediens, quærat
quamobrem à nobis cœna Domi-
nica manè percipiatur, cùm veſpe-
re à Chriſto celebrata ſit: reſpon-
debimus, tum veſpere quidem à
Chriſto celebratam eſſe, quia eſſet
adhuc mundi veſpera: id eſt, quia Heb. 9.
nondum valebat(vti Paulus ait)te-
ſtamentum Chriſti,dum adhuc vi-
ueret. Quo mortuo,cùm iam con-
firmatum ſit, meritò etiam nunc il
lam non veſpere,ſed manè celebra-
mus. Cur verò etiam Apoſtolis à
Chriſto dictum eſt, Quod vobis
dico in tenebris, dicite in lumine? Mat.10.
Præterea cũ Hebræi iuſſi ſint car-
nes aſſas, cum panibus azymis & la

ctucis agreſtibus edere: nõne vetamur etiam, dum ad mẽſam Dominicam accedimus, vetera vitioſi fermenti opera agere? Iubemúrque Paſcha illud noſtrũ epulari in azymis ſinceritatis & veritatis? vbi verò pura ſimplicitas & innocentia
Cypria. de cœna dom, vitæ, niſi in vna eccleſiæ catholicæ domo, à fidelibus de Ægypto egredientibus, trãſito mari rubro, lotis Chriſti ſanguine affectibus, offertur? Quòd verò Moſes quicquam è carnibus in lucem vſque reſeruari vetuit: ſimiliter & Apoſtoli, teſte Clemẽte Petri diſcipulo his ver
1. epiſt. cap 2. bis, Certè tanta in altari holocauſta offerantur: quanta populo ſuffi cere debeãt. Quòd ſi remanſerint, in craſtinum non reſeruentur: ſed cum timore & tremore, clericorũ diligentia conſumantur. Cúmque
Moſes

Moſes hunc diem Paſchatis, celebrari haberíque ſolennem cultu ſempiterno voluerit, paritérque ſeptem dies: idem quoque Apoſtoli, vt infra ſumus demonſtraturi. Deniq; cùm iſta Moſes dixerit, Omnis alienigena ex agno non comedet. Et in vna domo comedetur. Similiter apud nos vna eſt (vt Cyprianus ait) Domus eccleſiæ, in qua agnus editur, nullus verò ei communicat, quem Iſraelitici nominis generoſitas non commendat. Serm. de cœn. do.

CAPVT QVARTVM

QVOD EVCHARISTIA ſeu cœna Dominica nec ſignificatio, nec figura, nec panis ſit, ſed ſacrificium.

ATENIM dicat forſan aliquis, Cœna Dominica, fateor, cũ Moſaico Paſchate, tanquam figura cum figura conuenit. Quid verò quòd abs te tanquam ſacrificium habetur? alius item cùm ſignificatio ſit (attamen cum repromiſſione efficaci) vterque rurſus, cum ſubſtantia panis maneat: ſacrificium vt eſſe poſſit? Atqui Moſes, vt ab eo exordiamur, qui Chriſti per omnia typum portarit: aut legem cœnæ Dominicæ, vt cætera, figuris

adumbrauit, aut non: & ſi quidem
non adumbrauit, quomodo Chri-
ſtus legem Moſaicam adimpleuiſ-
ſe dicitur: qui cœnam nobis exhi-
buerit, cuius Moſes nuſquã memi
nerit? Si verò adumbrauit, aliud ſi-
ne dubio quàm figuram: ſed quod
à Chriſto aliquando tandem exhi-
bendum erat, vtpote veritatem
adumbrauit: vt quæ ſit eius quod
typicum eſt adimpletio. Sed ſi cœ-
na Dominica figura eſt, aut etiam
ſignificatio, nec ſacrificiũ: cur per
Dauidem dictum eſt, Intelligite Pſal. 47
hæc, qui obliuiſcimini Deum, ne
quando rapiat, & nõ ſit qui eripiat.
Sacrificium laudis honorificabit
me, & illic iter, quo oſtendam illi
ſalutare Dei? Si figura aut ſignifica
tio eſt, nec ſacrificium, cur apud
Iſaiam dicitur, In die illa erit altare Iſa. 19.
e iij domini

domini in medio Ægypti, & titulus domini iuxta terminum eius, & erit in ſignum, & teſtimonium domino exercituum in terra Ægypti: clamabunt enim ad dominum à facie tribulantis, & mittet eis ſaluatorem, & propugnatorem qui liberet eos. Et cognoſcetur dominus ab Ægypto, & cognoſcent Ægyptij dominum in die illa: & colent eum in hoſtiis, & in muneribus. Et vota vouebunt domino, & ſoluent? Si figura, aut ſignificatio
Dan. 12 eſt, nec ſacrificium, quomodo Daniel extremam temporũ conſummationem indicans, talia loquitur: Porro docti intelligent, & à tempore cùm ablatum fuerit iuge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem dies mille? &c. Si figura eſt aut ſignificatio, non autem

tem ſacrificium, cur apud Mala- Mala. 1.
chiam ſcriptum eſt, Non eſt mihi
voluntas in vobis, dicit dominus
exercituum: & munus non ſuſci-
piã de manu veſtra. Ab ortu enim
ſolis, vſque ad occaſum, magnum
eſt nomen meum in gentibus: & in
omni loco ſacrificatur nomini
meo oblatio munda, quia magnũ
eſt nomen meum in gentibus, dicit
dominus exercituum? Si figura ſeu
ſignificatio, nec ſacrificiũ eſt, quo-
modo à Paulo dictum eſt, Habe- Ad Hebræos, cap. xiii.
mus altare, de quo edere nõ habẽt
poteſtatem, qui tabernaculo deſer-
uiũt? aut etiam illud, Qui altari de-
ſeruiunt, cum altari participãt? græ-
ca enim dictio, θυσιαστήριον, id eſt, altare,
qua ille vſus eſt: quid niſi ſacrificiũ
planè importat, aut etiam niſi am-
plius aliquid? Etenim (vt Philo ſcri- Lib. 3. de vita Moſis.
bit

bit)quaſi τηρητικὸν θυσιῶν,dicitur:qua voce ſubíndicatur (inquit) non abſumi victimas: vt hoc quoque aduerſus eos dictum ſit,qui ad vocem ſacrificij noſtri inconſumptibilis obſurdeſcunt. Sed ſi ſacrificium mini-
1. Cor. 11 mè eſt, quomodo à Paulo rurſus ſcriptum eſt, Non poteſtis Calicẽ domini bibere, & calicem dæmoniorũ? nec poteſtis participes eſſe mẽſæ domini & mẽſę dęmoniorũ? Quid enim calix dæmoniorũ,menſáve, niſi ſacrificium? Item verò ſi Euchariſtia adhuc panis manet, quanuis ſolenni benedictione cõ-
Hier. 11. ſecratus: quomodo ab Hieremia ſcriptum eſt, Venite mittamus lignum in panem eius: & eradamus è terra vitam eius, & nomen eius non erit in memoria amplius? Sed ſi adhuc à conſecratione panis eſt: quo

quomodo cùm diſcipuli Chriſtũ, de eius aduentu poſtremo percontarentur: illud inter cætera ab eo reſponſum tulerunt, Vbicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ? Quid enim illud corpus, niſi Euchariſtia Chriſti? quid item aquilæ, niſi re, nominéque Chriſtiani: quorum conuerſatio, non vt Miſoliturgorum, circa terrena, & elementa mundi, ſed in cœlis eſt? Si à conſecratione adhuc panis eſt, quomodo apud Ioannem ſcriptum eſt, Panis quem ego dabo caro mea eſt pro mũdi vita? ac rurſus illud, Caro mea verè eſt cibus? Si à conſecratione adhuc panis eſt, quomodo Chriſtus in ſua cœna ſumpto in manus pane, poſt benedictionẽ ait: Hoc eſt corpus meũ, quod pro vobis tradetur? Aut quo

Mat. 24
Ioan. 6.
Mat. 26

modo denique à Paulo ſcriptum
1.Cor 11 eſt, Qui enim manducat & bibit
indignè, iudicium ſibi manducat
& bibit, non diiudicans corpus
Domini?

CAPVT QVINTVM,
Quòd Euchariſtia Paſcha ſit & incruenta hoſtia.

QVONIAM autẽ ſunt, qui tametſi Euchariſtiam ſacrificium eſſe (vt aiunt) generaliter acceptum confiteantur, non continuò tamen incruentam hoſtiam, aut paſcha eſſe admittant: priuſquam ad teſtimonia veterum tranſeamus, qua hactenus tum ſermonis breuitate, tum artis

tis

tis ſimplicitate vſi ſumus: nimiam iſtam linguæ petulantiam, quãtum vires ſuppetent, retundamus. Primùm ergo, Si Euchariſtia, ſeu cœna Dominica, noui teſtamenti paſcha minimè eſt, quomodo per Hieremiam prophetam hęc dicit dominus: Ecce dies venient dicit dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Iuda, fœdus nouum: non ſecũdum pactum quod pepigi cum patribus veſtris, in die qua apprehendi manum eorum, vt educerẽ eos de terra Ægypti: pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum, dicit dominus? &c. Etenim quod fœdus, aut teſtamentum iſtud eſt, quod dominus facturus eſt, non quale olim die Moſaici paſchatis, Hebręis ex Ægypto profectionem parantibus: niſi id quod

Hier.25

porrecto diſcipulis à cœna calice, Chriſtus exhibuit, velut præfatione quadam ante nuncupatũ, cùm ait: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam,& ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die? Verùm dicat forſan aliquis: Si iſtud eſt, qui fit vt conſummatio operis Chriſti,ad cœnam Dominicã non pertineat: cũ tamẽ alioqui à Paulo dictũ ſit, vna oblatione ſemel tantùm facta, Chriſtum conſummaſſe in ſempiternum ſanctificatos? Atqui aduertat is, quòd Chriſtus perinde quo-
Ioan. 7. que mox à cœna dixerit, opus conſummaui: quod (vt ante à nobis ex
Hebr. 9 beato Paulo citatũ eſt) eo ipſo die, per eius mortem confirmatum eſt. Sed ſi Euchariſtia, noui teſtamenti paſcha minimè eſt, quomodo à

Marco

Marco ſcriptum eſt: Vbi eſt refe- Marc 14
ctio mea, vbi paſcha cum diſcipulis meis manducem? Num figuris Chriſtus paſcitur? aut veteres figuras nouis etiamnum cumulat? Denique ſi Euchariſtia haud noui teſtamenti paſcha eſt, cur hoc tum Chriſtus ſermone vſus eſt, cùm in cœna cum duodecim diſcipulis diſcumberet: Deſyderio deſyderaui Luc. 22.
hoc paſcha manducare vobiſcum antequã patiar? Dico enim vobis, quia ex hoc non mãducabo illud, donec impleatur in regno Dei: & accepto calice gratias egit & dixit, Accipite & diuidite inter vos: dico enim vobis, quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat? Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicẽs, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis

 datur:

datur: Hoc facite in meam comme
morationem? Similiter & calicem,
poſtquam cœnauit dicens, Hic eſt
calix nouum teſtamentum in meo
ſanguine, qui pro vobis fundetur?
Hęc Lucas. Quo enim tandem iſta
paſchæ mentio pertinet, ad Eucha-
riſtiámne ac cœnam Dominicam,
an verò ad agnum veteris teſtamē
ti? Nam ſiquidem ad agnum vete-
ris teſtamenti, cur tantum illius mā
ducandi deſyderium Chriſtus ex-
preſſit? aut quare illius ingentis de-
ſyderii, nulla quoque ab eo ſupe-
rioribus annis mentio facta eſt: cū
ſimiliter vt diuinæ literę teſtantur,
ad diem feſtum paſchę aſcenderet?
(neque enim credo quis legem ſol
uiſſe dixerit) aut etiam, cur Chri-
ſtus vt illius magnæ auiditatis cau-
ſam reddidit: mox ſubiungit men-
tionem

tionem calicis, eãdem prorſus cauſam repetens? Quòd ſi Euchariſtia paſcha Dominicũ eſt, vtique Chriſtus, id eſt Euchariſtia, Deus & homo eſt.

CAPVT SEXTVM, de teſtimoniis veterum.

HACTENVS (vt opinor) Euchariſtię noſtræ ratio diuinis teſtimoniis abũdè comprobata eſt: & refutata eorum ſententia, qui incautos quoſque, malis ſtudiis peruerſíſque doctrinis conantur euertere. Nunc reliquum eſt, vt patrum quoque teſtimoniis, iſthæc noſtra fides tandem communiatur: vt ne quid deeſſe videatur, quod ad reuincendam iſtiuſmodi hominum igno

ignorātiam pertineat. Porrò quòd nullus omnino vel Apoſtolorum, vel patrum vnquam, huiuſmodi de cœna Dominica, aut peregrinā ſententiam agnouerit, aut noſtram ignorauerit: primo omnium, planè teſtatur Martialis Chriſti diſcipulus, vbi ait: Sacrificium Deo creatori offertur in ara, non homini neq; angelo. Non ſolùm in ara ſanctificata, ſed vbique offertur Deo oblatio munda: ſicut teſtatus eſt, cuius corpus & ſanguinē, in vitam æternam offerimus. Tum Clemens itē Petri diſcipulus, ex Apoſtolorum canonibus his verbis: Si quis Epiſcopus aut presbyter, præter ordinationem domini quam de ſacrificio inſtituit, alia quæpiam, puta aut mel, aut lac, aut pro vino ſiceram, aut confecta quædam, aut aues, aut aliqua

Epiſt. ad Burdeg. cap. 3.

Cap 3.

aliqua animalia, aut legumina ſupra altare obtulerit: vt qui contra ordinationem domini faciat, deponitor. Rurſus epiſtola tertia ad Iacobum fratrē domini, vbi ait, Quoniam in aliis locis ſacrificare, & miſſas celebrare non licet, niſi in iis, in quibus epiſcopus proprius iuſſerit, aut ab epiſcopo regulariter ordinato, tenente videlicet ciuitatem conſecratus fuerit. Aliter enim hæc nō ſunt agenda, nec ritè celebranda, docente nos nouo & veteri teſtamēto. Hæc Apoſtoli à domino acceperunt, & nobis tradiderunt. Similiter Abdias, & is Apoſtolorum diſcipulus, & primus Babilonis Epiſcopus, in vita Matthæi Apoſtoli his verbis: Cúmque reſpondiſſent, amen, & myſteria domini, & miſſam ſuſcepiſſet omnis eccleſia: reti

nuit ſe (Matthæus videlicet) vt iuxta altare, vbi corpus ab eo fuerat Chriſti cõfectum, illic martyrium apoſtolicum exultaret. Idem planè Ignatius Ioannis apoſtoli diſcipulus, in epiſtola ad Smyrnenſes, Nõ licet (inquit) ſine Epiſcopo, neque offerre, neque ſacrificium immolare, neq; miſſas celebrare. Idẽ quoq; Dionyſius Areopagita Pauli diſcipulus. Oportet pontificẽ, inquit, auguſtiùs cernere, ad altare ipſum conſummandi ſacrificij cauſa remeantem. Summa nanque illa, atque diuina maieſtas, quæ ſuper omnia eſt, & ſi bonitate diuina procedit, vt ſacram ſui communionem accedentibus tradat: non tamen extra ſubſtantialem, atque immobilem ſui ſtatus crepidinem fit. Nũ aliud ab Anacleto, qui à beato

Cap. 3. partit. 3. De eccl. hierar.

Petro

Petro preſbyter ordinatus eſt, teſti monium proferatur? Deo ergo, inquit, ſacrificantes perfectè, non debent vexari, ſed portari, conſolari, atque ab omnibus venerari. Ipſi autem quando Domino ſacrificāt, non ſoli hoc agere debent: ſed teſtes ſecum adhibeant, vt domino perfectè in ſacratis Deo ſacrificare locis probentur. Ait nanque autho ritas legis diuinæ: Vide, ne offeras holocauſta tua in omni loco quem videris: ſed in loco quē elegit domi nus Deus tuus. Ac paulò pòſt, Sic enim & Apoſtoli ſtatuerunt, & ſan cta Romana tenet eccleſia. hæc Anacletus. Quid verò Alexander 55. Romanæ eccleſiæ epiſcopus? In ſacramētorum, inquit, oblationibus, quæ inter miſſarum ſolennia offeruntur, paſſio domini miſcēda eſt:

Epiſt. 2. cap. 13.

Epiſt. 1. cap. 4.

vt cuius corpus conficitur, paſſio celebretur. Ac paulò pòſt, Crimina enim atque peccata, oblatis his domino ſacrificiis delẽtur. Idcirco & paſſio in his commemoranda eſt, qua redempti ſumus: & ſæpius recitanda, atque hæc domino offerenda. Talibus hoſtiis delectabitur, & placabitur dominus, & peccata dimittet ingentia. Nihil enim ſacrificiis maius eſſe poteſt, quã corpus & ſanguis Chriſti: nec vlla oblatio hac potior eſt, ſed hæc omnes pręcellit, & pura mente ſumenda, atq; ab omnibus venerãda. Et ſicut potior eſt cæteris, ita potiùs excoli & venerari debet. hæc Alexãder, qui & tempora Ioannis Apoſtoli attigit. Quodnam autem eſt Iuſtini philoſophi & martyris teſtimoniũ qui eodem tempore vixit? Atque
cibus

cibus hic,inquit,apud nos Euchari ſtia nominatur:qua nemini alij participare licet,niſi ei qui & vera eſſe credit quæ nos dicimus, & expiatus eſt lauacro, quod in remiſſionẽ peccatorum regenerationémq; datur,& ita viuit,vt Chriſtus tradidit. Neque enim hæc communẽ, vſitatúmque panem, vſitatãque potionem capimus: ſed quemadmodum per Dei verbum,homo factus Ieſus Chriſtus, conſeruator noſter, & carnem & ſanguinẽ pro ſalute noſtra habuit: ſic etiam cibũ qui per preces ſermonis, quem ab eo accepim⁹, cõſecratus eſt,& quo ſanguis carnéſque noſtræ communione aluntur,Ieſu Chriſti eius,qui homo factus eſt, & carnem & ſanguinem eſſe accepimus. Apoſtoli enim in commentariis ſuis, quæ Apolog. 2. ad Antoa piũ.

Euãgelia dicuntur, ita ſibi Chriſtũ præcepiſſe tradiderunt, cùm accepto pane, cùm gratias egiſſet, dixiſſe, Hoc facite in memoriam mei, hoc eſt corpus meum: dixiſſe etiã, accepto poculo cùm egiſſet gratias, Hic eſt ſanguis meus: ſibíque ſolis dediſſe. hæc Iuſtinus. Deniq; quænam fuit de his Irenęi ſententia, qui eodem, quo Iuſtinus, vixit etiam tempore? Sed & ſuis, inquit, diſcipulis dans conſilium primitias Deo offerre, ex ſuis creaturis non quaſi indigenti, ſed vt ipſi nec infructuoſi, nec ingrati ſint, eum qui ex creatura panis eſt, accepit, & gratias egit dicens: Hoc eſt corpus meum, & calicem ſimiliter, qui ex ea creatura quę eſt ſecundum nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & noui teſtamenti nouã docuit oblationem

Cap. 32. lib. 4 ad uerſ. hæreſ.

tionem

tionem: quam eccleſia ab Apoſtolis accipiens, in vniuerſo mũdo offert Deo, ei qui alimẽta nobis præſtat, primitias ſuorum munerũ in nouo teſtamento. De quo in duodecim prophetis Malachias ſic prę ſignificauit: Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit dominus omnipotens: & ſacrificium non accipiã de manibus veſtris. Quoniã ab ortu ſolis vſque ad occaſum nomen meum glorificatur inter gentes: & in omni loco incenſum offertur nomini meo, & ſacrificium purũ. Quoniam magnũ eſt nomen meũ in gentibus, dicit dominus omnipotens: manifeſtiſſimè ſignificans per hæc, quoniam prior quidẽ populus ceſſauit offerre Deo: omni autem loco ſacrificium offertur ei, & hoc purum. Nomen autem eius glorifica

Cap. 34. glorificatur in gentibus. Rurſus ali bi. Quomodo autem conſtabit eis eum panẽ in quo gratiæ actæ ſunt, corpus eſſe domini ſui, & calicem ſanguinis eius? ſi nõ ipſum fabricatoris mundi filiũ dicant, id eſt, verbum eius? per quod lignum fructificat, defluunt fontes, & dat primũ quidem fœnum, poſt deinde ſpicã, deinde plenum triticum in ſpica? Quomodo autem rurſus dicunt, carnem in corruptionem deuenire & non percipere vitam, quæ à corpore domini & ſanguine alitur? hæc Irenęus. Nũ verò alia fuit Cypriani ſententia, qui non ita multò

Epiſt. 3. libr. 2. pòſt extitit? Item in ſacerdote, inquit, Melchiſedech ſacrificij Dominici ſacramentum præfiguratum videmus: ſecundum quod ſcriptura diuina teſtatur, & dicit: Et Melchiſedech

chiſedech Rex Salem, protulit panem & vinum:fuit autem ſacerdos Dei ſummi, & benedixit Abrahã. Quod autẽ Melchiſedech typum Chriſti portarit, declarat ſpiritus ſanctus in Pſalmis, ex perſona patris ad filium dicens: Ante Luciferum genui te. Iurauit dominus, & non pœnitebit eum: tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. Hæc Cyprianus. Quid ſi à Iudæis quoque, hæc ſententia confirmata eſt? Etenim Rabbi Cahana ſuper Geneſim, vnà cũ Rabbi Iehuda ſuper Exodum, longo ante Chriſti aduentum tempore, in hanc ſententiam ſcripſiſſe legimus:In ſacrificio quod fiet ex pane,non obſtãte quod album ſit velut lac, conuertetur ſubſtantia pã-nis in ſubſtãtiam corporis Meſſiæ.

Erítque in ipſo ſacrificio, ſubſtantia ſanguinis Meſſiæ, rubra vt vinum. Erunt item in ſacrificio vini, ſanguis & caro Meſſiæ: & eadem erunt in pane, quoniam corpus domini non poteſt diuidi.

CAPVT SEPTIMVM de ratione Dominici Paſchatis,& incruentæ hoſtiæ,veterum teſtimonia:déque ſpeciebus immolationis.

MIHI haud dubium eſt, quin hactenus commemorata patrum teſtimonia, iam abundè pio lectori ſufficiant. Etenim ſi Euchariſtia Chriſti domini, nec panis, nec figura,nec item ſignificatio, ſed ſacrificium

crificiũ, atque adeò corpus Chriſti eſt, cõuerſa videlicet panis ſubſtantia in ſubſtantiã corporis Chriſti: vtique & paſcha eſt, & incruenta hoſtia. Veruntamẽ ne quid à nobis requiri poſſit, quo Caluiniani qui in obliterãdo, funditúſq; euertendo hoc noſtro incruento paſchate, omnes ingenij induſtriæque vires miſerabiliter cõtendunt: (neque enim etiamſi vlla eſſe videatur illis victoria, & ipſis niſi cruenta atque adeo exitialis eſſe poſſit) quã tum in nobis ſitum eſt, in compendium tandem rationis & doctrinæ ducantur: etiamnum illis hic teſtimoniorum cumulus accedat. Tertullianũ ergo in primis audiamus, qui Seueri Imperatoris tẽporibus, id eſt non ita multò pòſt Ioannis Apoſtoli tempora extitit. Eius por

Libr. 4 aduerſ. Marcio. rò hæc verba ſunt: Profeſſus Chriſtus ſe concupiſcentia concupiſſe edere paſcha, vt ſuum: indignum enim vt quid alienum concupiſceret: Deus acceptum panem, & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum illum fecit. Sed ſi videtur, etiam Origenis teſtimonium adiungamus, Homilia 35. in Math qui eo quo Tertullianus, vixit tempore. Sic autẽ ille, in eum Matthæi locum, Dico vobis quòd à modo non bibam de hoc genimine vitis, &c. Sed & de pane dictũ eſt apud Lucam ſimiliter: Deſyderio deſyderaui hoc paſcha manducare vobiſcum, &c. quinetiam quòd Eucharistiam, incruentam hoſtiam veteres appellarint, abundè teſtantur Euſebius Cæſareæ Paleſtinæ Epiſcopus, & Athanaſius: qui ambo temporibus Niceni concilij extiterunt.

runt. Ille his verbis, Palam igitur in Cap 10.
his myſticam ſignificat (Dauid ſci- lib. 1.
licet) vnctionem, & odorum affe-
rentiam, menſæ Chriſti ſacrificia:
quibus operantes incruentas & ra-
tionales, eíque ſuaues victimas: in
tota vita, ſupremo Deo offerre, per
eminentiſſimum omniũ ipſius pon
tificem edocti ſumus. Ille verò vbi Libr de
talia loquitur, Ita intelligimus pec var quæ
catorum animas, participare aliqua ſtionib.
beneficia, ab exangui immolatione 934.
& gratificatione, pro ipſis facta,
&c. Quid plura commemorem?
Cùm vna eadémque hactenus fue
rit, tam recentiorum quàm vete-
rum ſententia? Itaque reliquũ exe-
quamur. Duplex ergo in ſumma
eſt, Dominici Paſchatis immola-
tio: cruenta altera, altera incruenta.
Illa ad Chriſti paſſionem, hæc ad

 Eucha-

Euchariſtiā Chriſti pertinet. Cruēta item immolatio duplex eſt: quatenus videlicet Chriſtus ſemetipſum pro peccatis noſtris in ara crucis obtulit: & quatenus ipſum Iudæi per inuidiā immolauerūt. Hactenus de Paſchate Dominico. Nūc de eius tēporibus diſſerendum eſt.

DE TEMPORIBVS DOMINICI PASCHATIS LIBER SECVNDVS.

VENIO nunc ad certamen ſuperiori longè diſſimile. Etenim cùm antè, res nobis eſſet cũ iis, qui veritatis ſcientiam ſibi vendicantes, interim vt animi ſui propoſitum aſſequantur, nunc nos, quibus poſſunt teſtimoniorum plauſtris, quæ tamen nihil ad rem pertinent, argumentorúmque quaſi aggeribus cumulãt, quæ nec ratione, nec veritate nitũtur, & diſciplinæ ordinem deſyderant: nunc verò deſerta cauſſa, in ſacerdotum mores, fidei cauſſam transferunt: præclarè è diuerſo nimirum

mirum facturi illi, ſi iſtam indignationem in ſeſe pariter ac in alterum conuerterent. Quid quòd ferè armorum pręſidio freti, ſic religionē propagatum iri arbitrantur? Nunc vtique cum iis potiſſimùm nobis eſt negotium, qui nobis fidei, religioníſque vinculo coniuncti ſunt. Cúmque ibi numero ac multitudine mortalium, veritas premeretur: nunc profectò authoritate præſtātium, omni genere laudis virorum adumbratur. At verò quod ad vtriuſque cauſſæ ſtatum attinet, ſanè vt ibi minus in coarguendis illorū argutiis, difficultatis inerat: ita minus hîc eſt in delinquendo periculi: veruntamen vnum quidem valde, hoc certamine omnem difficultatem imminuit: quod quantum ſupra de Miſoliturgis recuperandis

rãdis deſperauimus:tãtũ nũc nobis de noſtrorũ nobiſcũ cõſenſione cõfidimus, vt qui nõ vt illi, cõtradicẽdi ſed verũ vtiq; amplectẽdi ſtudio teneãtur. Itaq; & quod olim à priſcis vſq; tẽporibus, eccleſia Romana de tẽporibus Dominici paſchatis decreuerit: & qui ab ea poſtmodum etiam non contemnendæ authoritatis viri diſcreparint, hac vna quæſtione primùm deciſa, exponẽdum eſt. Etenim quærat forſan aliquis, Quî fit, vt in quo Romana eccleſia alterum redarguit, non ipſa ſimiliter reprehẽſionem incurrat? Cùm à Paulo ſcriptum ſit, Dies obſeruatis & menſes, & tempora, & annos? Cui reſpõdebimus, à Paulo tum reprehenſos eſſe eos, qui videlicet iuxta legem Moſaicam, in typo rationem temporũ obſeruarẽt. Gala. 4.

Serm. de ſpiri. ſanct. Et cum Cypriano dicemus: Celebrare tam nos, quàm Iudæos, feſtũ diem paſchatis: ſed illos in typo, nos autem in veritate: ſicque nos non tam ſignificare, quàm agere.

CAPVT PRIMVM DE APOSTOLICO canone tẽporum Paſchalium.

NEMINI, vt opinor, dubium eſt, cui religionis noſtræ ratio vtcumque comperta ſit, quin ritus etiam Dominici Paſchatis à Moſe olim adumbratos, tum Apoſtoli, tũ viri apoſtolici tãdem ad viuum expreſſerint. Hac ergo via, Paſchalium temporum rationem in primis diſquiramus. Et quoniam, quę nam ſit verè apoſtolica ea de re inſtitutio

ſtitutio forſan ambigi poſſit, & ele uari teſtimonium veterum, quibus illa lineis Moſes deſignarit, videndum eſt: & quibus etiam Apoſtoli limitibus circunſcripſerint: vt ſic collatis inuicem vtriſque legibus, vel ex typo etiam veritas, ſi quo modo fieri queat, tum demũ eruatur. Porrò cùm à Moſe, ſic ea de re ſcriptũ ſit: Et ſeruabitis eum (agnũ videlicet) vſque ad quartamdecimam diem menſis huius, immolabítque eum vniuerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam. Tum eodem capite, Habebitis autem hunc diem in monumentum: & celebrabitis eum ſolennem domino in generationibus veſtris cultu ſempiterno. Septem diebus azyma comedetis. In die primo non erit fermentum in domibus veſtris. Qui- Exo. 12.

cunque comederit fermentũ, peribit anima illa de Iſrael, à primo die vſque ad ſeptimum diem Dies prima erit ſancta ac ſolennis: & dies ſeptima eadem feſtiuitate venerabilis. Nihil operis facietis in eis, exceptis iis quæ ad veſcendum pertinent. Et obſeruabitis azyma. In eadem enim ipſa die, educam exercitum veſtrum de terra Ægypti. Et cuſtodietis diem iſtum in generationibus veſtris ritu perpetuo. Rurſus alibi, Et decima die, ſolennitas, Septem diebus veſcentur azymis: quarum dies prima venerabilis & ſancta erit, &c. Quid ea de re porrò, à priſcis patribus ſtatutum eſt?
Cap. 8. Si quis (inquit canon apoſtolicus) epiſcopus, aut preſbyter, aut diaconus, ſanctum diem Paſchæ, ante vernum æquinoctium cum Iudæis
cele

celebrauerit, deponitor. Ac non ita
multò poſt Apoſtolos, Pius 9. apo-
ſtolicæ ſedis antiſtes, legem paſcha
lium temporum ante promulgatã
ſuis inculcans, hæc literarum mo-
numentis prodidit. Cæterùm noſſe
vos volumus, quòd paſcha domi-
ni, die dominica, annuis ſolennita-
tibus ſit celebrandum. Iſtis enim
temporibus, Hermes doctor fidei
& ſcripturarum effulſit inter nos:
& licet nos idem paſcha prædicta
die celebraremus: quia tamen inde
quidam dubitarunt, ad corroborã-
das animas eorum, eidem Hermæ
Angelus domini in habitu paſto-
ris apparuit: & præcepit ei, vt paſ-
cha die Dominico, ab omnibus ce-
lebraretur. Vnde & vos apoſtolica
authoritate inſtruimus, omnes ea-
dem ſeruare debere: quia & nos ea-

dem ſeruamus. Nec debetis à capi te quoquo modo diſſidere. Hacte nus Pius. Atque adeo ad componendas tum obortas, circa eã rem contentiones, legem hanc tanquã à maioribus ſuſceptam, Victor tertiuſdecimus eiuſdem ſedis epiſcopus ſanciuit, celebritatem ſancti paſchæ die Dominica agi debere, & prædeceſſores noſtri iam ſtatuerunt: & nos illud vobis eadem die celebrari ſolenniter mandamus: quia non decet vt membra à capite diſcrepent, aut contraria gerant. A quartadecima verò luna primi mẽſis, vſque ad vigeſimumprimum diem eiuſdem menſis, eadem celebratur feſtiuitas. Tum in fine cap. Hæc vero ſtatuta nulla debent improbitate conuelli, nulla nouitate mutari: quia alia ratio eſt cauſarũ

ſecula

ſecularium, alia diuinarum. Hæc Victor. Quæ cùm ita ſint, primò omnium quid quarta decima illa dies Moſaica, quæ in diem paraſceues incidit, niſi ſextam diem deſignat: qua natus Adã, cùm ea quoque die, & illicita cibi mãducatione peccaſſet, & morte affectus eſſet: eadem etiam & antidotum, id eſt ſacrum cibum Chriſtus diſcipulis manducandum præbuit: & mortem primi illius parentis, atq; adeo totius humani generis in ara crucis ſua morte ſuſtulit? Quid pariter quoq; quartædecimæ lunæ obſeruatio, niſi ſignificatio eſt tenebrarum mentis, in quibus Iudæi verſabantur? etenim tum vernum æquinoctium incidit. Quid item quintadecima dies Moſaica, niſi diem Dominicam, Regalem, & eminentiſſi

tiſſimam omnium dierum, in qua & vita noſtra exorta eſt, & mortis in Chriſto parta victoria prænuntiat? Quæ cũ poſtridie ſabbati ſit, interim prima manet? Quid verò in ea ipſa die ſolennitas azymorũ, niſi incruentam in ea quoque die, noſtri paſchatis immolationẽ præfigurat? Aut quid illa tum noſtri paſchæ celebritas, cùm iam vernũ æquinoctium aduentauit, gliſcente iam tum videlicet die, niſi ingentis illius tandem luminis, fores nobis patefactas indicat? Quid denique ſeptem illi dies azymorum à Moſe indicti, niſi quotidianum illud & iuge ſacrificium Chriſtianorum inſinuant? Sed vt ne quid tanquam noſtrum, pręſertim in re tam ardua proferre videamur, Irenęum Origenémque audiamus. Sic autẽ ille.

ille, In ipſa itaque die mortui ſunt, in qua manducauerunt, & debitores facti ſunt mortis: quõniam conditionis dies vnus. Factus eſt enim (inquit) veſpere, & mane, dies vnus. In ipſa autem hac die manducauerunt: in ipſa autem & mortui ſunt. Secundum autem circulum & curſum dierum, ſecundum quẽ, alia quidem prima, alia autem ſecunda, & alia tertia vocatur: ſi quis velit diligenter diſcere qua die ex ſeptem mortuus eſt Adam, inueniet ex domini diſpoſitione. Recapitulans enim vniuerſum hominẽ in ſe, ab initio vſque ad finem recapitulatus eſt & mortem eius. Manifeſtum eſt itaque quoniam in illa die mortem ſuſtinuit dominus, obediens patri, in qua mortuus eſt Adam inobediens Deo. In qua au-

Libr. 5. aduerſ hæreſ.

tem mortuus eſt, in ipſa & mandu cauit. Dixit enim Deus, In qua die manducabitis ex eo, morte moriemini. Hunc itaque diem recapitulans in ſemetipſum dominus, venit ad paſſionem pridie ante ſabbatũ: quæ eſt ſexta conditionis dies. In qua homo plaſmatus eſt, ſecũdum plaſmationem eam quæ eſt à morte per ſuam paſſionem donans. ac paulò pòſt: Siue ergo ſecundum inobedientiam, quæ eſt mors: ſiue ꝙ exinde traditi ſunt, & facti ſunt debitores mortis: ſiue ſecundum vnum & eundem diem, in quo mã ducauerunt & mortui ſunt: quoniam vna conditionis dies, ſiue ſecundum hunc circulum dierum: quia in ipſa mortui, in qua & mã ducauerunt, hæc eſt paraſceue, qu dicitur cœna pura: id eſt ſexta fe

ria, quam & dominus oſtendit paſ ſus in ea, &c. Sic etiam Origenes. Quod vtique non abſque ratione ſcriptum eſt, Recordare de legibus paſchæ, quæ ſcripta ſunt: & inuenies ibi, hoc eſſe tempus quod ſtatuitur ad ſecundum paſcha faciendum, iis qui immūdi in anima fuerunt: vel occupati in negotiis peregrinis. Qui ergo non fuerunt immundi in anima, vel non lōgè pere grinabantur: 14. die primi menſis paſcha fecerunt. Qui autem longè peregrinabantur, & immundi erāt: ſecundum paſcha in hoc tempore faciunt, quo & manna de cœlo deſcendit. In die quo primum paſcha fit, non deſcendit manna de cœlo: ſed in hoc quo ſecundum. Videamus ergo nunc quis ſit ordo myſterij. Primum paſcha, primi populi Homil. 7. ſuper Exod.

eſt. Secundum paſcha, noſtrum eſt. Nos enim fuimus immundi in anima, qui colebamus lignum & lapidem: & ignorantes Deum, iis qui natura non erant dij ſeruiebamus. Nos enim eramus, qui longè peregrinabamur: de quibus dicit Apoſtolus, Qui fuimus hoſpites & peregrini teſtamentorum Dei, ſpē non habentes, & ſine Deo, in hoc mūndo errātes. Hæc Origenes, qui paulò pòſt explicans illum Moſis locum, Die autem ſexto parēt quod inferant: vt ſit duplum quod colligere ſolebāt per ſingulos dies: rurſus inquit, Ego quidem ſuper hac ſcriptura, velim primò cum Iudæis habere ſermonem, quibus credita dicuntur eloquia Dei: quid illis videatur de eo quod dicit, Sex diebus continuis colligetis: die autem ſexto du

to duplum colligetis. Apparet ſextam diem nominari illam, quæ ante ſabbatum ponitur: quæ apud nos paraſceue appellatur. Sabbatũ autem ſeptima dies eſt. Quæro ergo qua die cœperit manna cœlitus dari: & volo comparare Dominicam noſtram cum Sabbato Iudæorum. Ex diuinis nanque ſcripturis apparet, quod in die Dominica, primò in terris datum eſt manna. Si enim vt ſcriptura dicit, ſex diebus continuis collectum eſt: ſeptima autem die quę eſt ſabbati, ceſſatum eſt: ſine dubio initiũ eius à die prima, quæ eſt dies Dominica fuit. Hactenus Origenes. Vides ergo iã, vt canon apoſtolicus, vt lex item à Victore prolata, quadret ad figurã legis Moſaicæ? Itaque ad priſcorũ ſectas, patrúmque ſanctiones trãſ-

eamus: priuſquam myſterium tem porum paſchalium perſequamur.

CAPVT SECVNDVM de patrum ſanctionibus, circa paſchæ tempora, & de Sectis veterum.

QVANQVAM Victorinum canonem circa paſchæ tẽpora, iam apoſtolicum eſſe vtcũque conſtet: tamen illud patrũ quoque teſtimoniis obiter muniẽdum eſt: vt & veterum ſectæ magis innoteſcant, quibus confutandis haud pluribus immorari ſtatuimus: & rei totius myſterium, quod infra Dei conceſſu ac munere ſumus patefacturi, ſeſe pio lectori faciliùs

ape

aperiat. Quo patefacto, nulla, vt ſpero, tum demum relinquetur dubitatio. Porrò duabus potiſſimùm de cauſſis, olim ab apoſtolis celebritati paſchæ ſtatum certúmque tempus conſtitutũ eſt. Prioris meminerũt apoſtoli his verbis: Si quis epiſcopus, aut preſbyter, aut diaconus, aut omnino quicunque ex clericorum conſortio, cum Iudęis ieiunauerit, aut communem feſtum diem cum ipſis egerit, aut lautia feſti, nempe azyma, aut aliud huius generis ab eis ſuſceperit: deponitor. Si laicus, à communione ſegregator. Meminit & Ignatius, vbi ait, Adhuc dico epiſcopo & preſbyteris in domino, Quicunque cum Iudæis paſcha egerit, aut ſolẽnia dierum feſtorum eorum ſuſceperit: comparticipabit eis, qui dominum & apo

Cap. 70

Epiſt. ad Philipp.

& apoſtolos eius occiderunt. Sed & ſupra commemorato à nobis canone, his verbis ab apoſtolis eiuſ-
Cap 8. dem mẽtio facta eſt. Si quis epiſcopus, aut preſbyter, aut diaconus, ſanctum diem paſchæ, ante vernũ æquinoctium cum Iudæis celebrauerit: deponitor. Poſterioris autem idem Ignatius meminit, vbi ait,
Epiſt. ad Magneſian. Sed pro ſabbatizatione, diem feſtũ celebret omnis Chriſtianus, Dominicam reſurrectionem, regalẽ, eminentiſſimam omnium dierum: de qua Propheta expectans dicebat, In finem pro octauo. In quo die, & vita noſtra exorta eſt, & mortis in Chriſto facta victoria. Atque adeò poſt Ignatium, Iuſtinus martyr cùm ait, Vnus enim ſabbatorũ
Dialog. aduerſ. Iudæos. dies, cùm primus maneat dierum omnium: omnium rurſus dierum qui

qui in orbem reuoluuntur, enume ratione octauus vocatur, idémque primus manet. Et rurſus, Nochus vir bonus & iuſtus, in terrarum inundatione, cum vxore ſua tribúſq; liberis eorúmque vxoribus, qui omnes octo numero erant, ſignificationem habuit diei, qui octauus quidem eſt numero: in quo à mortuis excitatus eſt Chriſtus, qui primigenius eſt eorum omnium, quæ condita ſunt. Principium etiam alterius generis fuit hominum, qui ab eo iterũ generati ſunt, per aquã, fidem, & lignum, quod crucis myſterium habebat: quemadmodum etiã Nochus in ligno vnà cũ ſuis inſidẽs aquis, ſeruatus eſt. hæc Iuſtinus. Verùm his quamlibet ritè ſan citis, interim canõ Victorinus, aut potiùs Apoſtolicus, haud diu paſ-

ſim manet incolumis: aliis tãquam minimè apoſtolicum aſpernantibus, aliis verò aliter atq; aliter obſeruantibus. Eorum item qui illum aſpernati ſunt, duo genera extiterunt: etenim alij Iudaiſmum latenter introducere cupientes, paſcha haud aliter cuſtodiendum eſſe aſſeruerunt, quàm ſecundum legem Moſaicam: id eſt quartadecima luna primi menſis. E quibus fuit quidam Blaſtus nomine. Hinc qui ex Phrigibus, & Quintilianis atque Galatis, tetraditę, ſeu teſſareſcędecatitę, id eſt, quartadecimani dicti ſunt. hinc qui ſub Valente imperatore Audiani, & Sabbatiani. hinc denique qui Anthropomorphitæ appellati ſunt. Alij verò licet à Iudaiſmo alieni eſſent, interim tamen 14. luna primi menſis Dominicum

paſcha celebrandum eſſe contenderũt. E quibus vix vlla pars Aſiæ ab iſta opinione exempta, vix etiã vllus vel ſacerdotali munere prædi- tus, ſicut ad Victorem tum ſcripſit Polycrates, qui in ea orbis partes primatum agere videbatur. Huius autem erroris cauſſa fuit, quòd hũc ipſum morem, vel à Ioanne Philippóque apoſtolis, ſibi traditum eſſe defenderent. Hinc certè tum ingẽs quæſtio in eccleſia Dei oborta eſt, dum his Victor Petrum Paulúmq; opponeret. Quid tandem cùm in iſta ſua ſententia perſeuerarent Aſiatici in cõcilio Niceno ſtatutum eſt? aut pro qua parte lata ſentẽtia eſt? Nónne pro eo qui eius quidem apoſtoli authoritate niteretur, cuius neutiquã defectura erat fides? Idem verò eodem penè tempore,

Euſeb. hiſt. eccleſ lib. 5 cap 4.

in cõcilio Romano, cui Conſtantinus imperator interfuit, Sylueſtro apoſtolicæ ſedis antiſtite ſancitum eſt his verbis, Omnibus epiſcopis & preſbyteris præceptum eſt, paſchæ obſeruantiam cuſtodire, à 14. luna, vſque ad 21. diem: ita vt Dominicus dies coruſcet. Alij itẽ extiterunt qui cyclos paſchæ fallaces, nec paſcha ſuo die celebrari: ſed decimo calend. Maij celebrandum dicerent. E quibus fuit Victorinus præcipuus Pictauienſis regionis antiſtes. Quiquidem à concilio Romano, cui etiamnũ Sylueſter præerat, damnatus eſt. Cúmque ne ſic quidem his ſeſe cancellis continerent, qui ſibi ſapientes eſſe videbãtur, eiuſmodi canon in Antiochena ſynodo, non ita multò pòſt editus eſt: Omnes qui audent diſſolue

re regulam ſancti, & magni concilij Niceni, quod celebratum eſt in præſentia Dei, & amantiſſimi Conſtantini imperatoris, de ſancta & ſalutari feſtiuitate paſchali ſaluatoris noſtri: excommunicatos & abiectos eſſe debere ab eccleſia: maximè ſi perſeuerent ſtudio contentionis, ad ſubuertenda ea quæ optimè conſtituta ſunt. Et hæc quidem de laicis dicta ſunt. Si autem de prępoſitis eccleſiæ aliquis, id eſt, vel epiſcopus, vel preſbyter, vel diaconus, poſt hanc definitionem, & hunc terminum, auſus fuerit in ſubuerſionem populorum & perturbationẽ eccleſiarum ſeorſum colligere, & cum Iudæis voluerit paſcha celebrare: hunc ſancta ſynodus iam alienum ab eccleſia eſſe iudicabit: tanquam eum qui non ſolùm pro-

prij peccati reus ſit: ſed aliorum corruptæ mentis, & conuerſationis ſupplantator extiterit: & non ſolùm huiuſmodi deponi à ſacerdotio & miniſterio iubet: ſed & eòs qui auſi fuerint his communicare poſt damnationem, depoſitos etiam honore, qui extrinſecus eſt, priuari oportet: quem ſanctus canon, & Dei ſacerdotium promeruit. Hactenus Antiochena ſynodus, atque eatenus tum ſtatu lunaris curſus incolumi, canon quoque tẽporum paſchalum mãſit incolumis.

CAP

CAPVT TERTIVM, de recentiorum circa paſchæ tempora controuerſiis.

EORVM porrò, qui licet canon paſchalium temporum ab his approbaretur, hinc tamen egreſſi, aliter atque aliter obſeruarunt, duo etiam potiſſimũ genera extiterunt: Latinorum vnum, & Græcorũ alterum. Etenim dum exemplo Niceni concilij, 14. lunæ inquiſitio ad aſtrologos relegatur, hinc propè infinitæ controuerſiæ inter eos ſuboriuntur, vtriſque cùm de ratione aſtrorum, tum de ratione dierũ intercalarium, & menſium emboliſmorum, aliter atque aliter ſtatuentibus. Quod vt ne ſingula circumeam, & diutius his recenſendis immorer: en breuis quædam tam Lati

norum, quàm Græcorum tabula, de ratione cycli vndeuiginti annorum: vnde poſſit reliquum tot controuerſiarum colligi.

Tabula.

Numeri cycli decennouenalis Grecorũ.	1	2	embol. 3	4	5	embol. 6	7	embo. 8
Numeri cycli lunaris priſcorũ Latinorum.	17 embo.	18	19 embol.	1	2	3 embol.	4	5

Continuatio ſuperioris tabulæ.

9	10	embol 11	12	13	embo. 14	15	16	embol. 17	18	emb. 19
6 embol.	7	8 embo	9	10	11 embol.	12	13	14 embol	15	16

Quo

Quocirca Theodoſius ſenior, Conſtantini magni exemplo, cupiens iſtiuſmodi contentionibus finem imponere, Theophilo Mathematico Alexandrino antiſtiti, omnem ordinādi paſchatis curam delegat. Sed nec in Theophili ordinatione, Innocentius vrbis Rom. Epiſcopus acquieſcendum cenſet: vt ex ea epiſtola manifeſtum eſt, quam ad Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum, eius rei cauſſa ſcripſit. Hinc Leo primus huius nominis, ſimiliter eiuſdem vrbis Epiſcopus, non ita multò pòſt eius confuſionis pariter & obſcuritatis pertæſus, Martianum Auguſtum per epiſtolam deprecatur, vti ad elucidandum iſtud negotium, peritos quoſque artis mathematicæ adhibeat. Denique Dionyſius Abbas

Romanus, itẽ Mathematicus poſt tot diſſertationes, tandem Romanam eccleſiam, ad cyclum Alexandrinorum & Græcorum ſenſim (licet ægrè) capeſſendum, paucis tantùm immutatis aſſuefacit: atq; adeò is eſt, qui apud nos tam in annis diſtribuendis, quàm in ſtatuendo paſchate hactenus inualuit. Qui volet totam hanc controuerſiarum ſyluam cognoſcere, legat calẽdarium Romanum Ioannis Stophleri Mathematici: qui nuper contendente à Tubingenſi academia Maximiliano imperatore, cum Leone eius nominis 10. Rom. pontifice, vt formulam aliquam eius rei, quoad fieri poſſet, ad amuſſim conſcriberet, ab ea tanquam eius artis peritiſſimus, vnus ex omnibus electus eſt: tametſi nec is aſtrorum rationem,

vtex

vt ex ſequentibus cognoſci poterit, plane compertam habuerit.

CAPVT QVARTVM de Iulij Cæſaris Cæſarianorúmque errore circa rationem menſtrui annuíq; curriculi.

DIxi, vt potui breuiter, de veterum ſectis, inſtitutíſque circa paſchæ tempora. Deinde verò delibaui Græcorum Latinorúmque diſceptationes. Nunc de Cæſarianorum errore diſſerẽdum eſt. Qui locus noſtræ quęſtionis eſt maximè proprius. Ac primò de annuo illorum, menſtruóque dierum curriculo dicendum. Etenim ſi à nobis de-

monſtratum fuerit, eos neque aut ſolis, aut lunæ curſum vtcumque conſecutos: neq; verum annorum circulum, neque verò æquinoctiorum ſedes deprehēdiſſe: ſimul etiam credo, ſtata, certáque paſchæ tempora ignoraſſe conuincentur: vtpote quę circa rationem earum rerum verſentur. Porrò vt ordine rem perſequamur, diem noſtri, Iulium Cæſarem ſecuti, à media nocte exordiuntur: licet priſcarum vigiliarum, quędam adhuc in functionibus eccleſiaſticis veſtigia ſuperſint. Menſium verò, aliam rationem habēt: lunæ quoque aliam. Etenim cùm eccleſię vſus, primum menſem verno æquinoctio vendicet: interim primus ei locus, quem Ianuarium vocant, ſecundum Iulij Cęſaris legem vulgo tribuitur. Tú

è menſi

è menſibus, alios vnius & 30. alios 30. poſtremum verò, nunc 28. nũc 29. dierũ eſſe cenſent: vt pote quarto quoque anno, intercalato vno die, qui biſſextus dicitur. At verò lunam conſtare aiunt 29. diebus, 12 horis, cum 44. minutiis, & 3. fere ſecundis, vt vocant: tametſi apud vſitata calendaria, nunc 30, nũc 29. dies viciſſim contineat. Annum denique ad curſum, non lunę quidẽ, ſed ſolis computantes, aiunt eſſe 365. dierum, cum quarta diei parte: quod hoc temporis ſpatio (vti inquiũt) ſol luſtret zodiacum. Hinc cyclum vndeuiginti annorum ſtatuunt: cuius ſingulas partes, id eſt nouilunia, numero qui ab eis aureus habetur, inquirunt. Cùm ergo ex Iulij Cęſaris diſciplina, omnium poſtea tẽporum ratio fundata ſit,

ego libenter primum omnium ab eis quęram, qui eam omnium prę-ſtantiſſimam ducunt, vnde doctũ ſe Iulium Cęſarem, eam ſcire, tenereque dicat. Neque enim poteſt, qui res cœleſtes non ab aliquibus didicerit, qui eas compertas haberent, vel ſcire ipſe, vel aliis rectè tra-

Cap. 25. Lib. 18. dere. Quod cùm vel Plinius vir ethnicus, in eo opere, quod naturalis hiſtorię ſcripſit, ſatis profiteatur cùm ait, Primùm omnium, dierum ipſorum anni, ſolíſque motus, propè inexplicabilis ratio eſt. Ac paulò pòſt, Res anceps, primũ omniũ à cœlo peti legem, deinde eam argumentis aſſequendam. Tum verò eam plane ſentẽtiam confirmãt

Eſdr lib. 4 cap. 4 diuinę literę, vbi ſcriptũ eſt: Quẽadmodum terra ſyluę data eſt, & mare fluctibus ſuis: ſic qui ſuper terram

terram inhabitant, quę ſunt ſuper terram intelligere ſolũmodo poſſunt. Et qui ſuper cœlos, quę ſuper altitudinem cœlorum. Rurſus: Et difficile ęſtimamus, quę in terra ſunt: & quę in proſpectu ſunt, inuenimus cum labore: quę autem in cœlis ſunt, quis inueſtigabit? Quid quod Pius 9. apoſtolicę ſedis Epiſcopus, cuius ſupra mentionem fecimus, dum à nobis commemoratam paſchalium temporum legem ſanciret, velut prophetico ſpiritu occurrens futuris erroribus, his eccleſiam verbis adhortatus eſt? Cauete diligenter omnes, ne quis vos decipiat per aliquam aſtrologiam, vel philoſophiam, & inanem fallaciam: ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum, & tradi

Sap 9.

traditionem rectam,&c. Sed ſi lubet, Cęſaris decretum conſyderemus. Nam cùm ex iiſdem riuulis emanarit,quos reliqui omnes philoſophi conſectati ſunt:omnes autem varia ſentiunt,in qua ſecta veritas ponēda eſt? Etenim,vt ex multis pauca adferam,quod ad diei initiũ attinet,Babilonij à ſolis exortu, diei principium ſtatuũt: Vmbri verò à meridie. Atheniẽſes à ſolis occaſu : Cęſar autem à media nocte. Annũ verò Romani veteres à mẽſe Martio exorſi ſunt. Alexandrini à menſe Thoth, qui noſtris Auguſtus dicitur. Recentiores Iudęi à menſe ſeptembri. Cęſar tandem à menſe Ianuario. Menſes porrò Numa Pompilius 30, viciſſimque 29. dierum numero terminauit. Alexandrini 30.pręter vltimum,quem
vnius

vnius & 30. dierum eſſe voluerũt. Cæſar verò vt à nobis commemoratum eſt, nunc 30. nunc vnius & 30. nunc verò 28. Alphõſus 29. diebus, 12. horis, 44. minutiis, & 3. ſecundis concluſit. Rurſus. Quod ad annum attinet, alij ſecundum lunæ, prout illis videbatur, curſum computarunt: veluti Numa Pompilius, & Græci veteres, qui 354. eſſe dierum voluerunt. Veluti etiam Arabes, qui interim horas 8. & 44. minutias addiderunt. Alij verò iuxta curſum ſolis: atque illi variè. Nã Ptolemæus Alexandrinus, annum ex 365. diebus, horis quinque, minutiis 55. ſecundis 12. ordinauit. Alphonſus verò ex 365. diebus, horis 5. minut. 49. ſecund. 16. Cùm interim Cæſar 365. diebus, cum quadrãte eum computarit. Denique cum

19. annorum cyclum Cæſar prodiderit, Ptolemæus verò 25. Arabes 30. annorum ſpatiò circumſcripſerunt. Sed quid opus eſt de his plura commemorare, cùm Cęſar ex ignoratione rerum inferiorum poſſit coargui? Etenim ſi ordinem quatuor anni temporum nequaquam comprehendere potuit, vt pote qui anni ætatem, ab ipſo ætatis ſenio, id eſt à menſe Ianuario ordinarit, quomodo lunæ ſolíſq; curſum videtur potuiſſe aſſequi? Atenim dicet forſan aliquis, Quid quod eandem aſtrorum, temporúmque rationem obſeruarunt veteres illi? velut i Irenæus: vt ex cap. 42. lib. 2. aduerſus hæreſes manifeſtum eſt, vbi ait, Sed neque menſes quos dicunt typum eſſe trigenarij, præfinitione 30. habent dies: ſed alij quidem plures

res, alij autē minus: eò quòd quinque dies ſuperponantur eis. Veluti etiam Aphricanus his verbis, Quū tamen ſolaris curſus, dies conficiat 365. cum vnius diei parte quarta. Ex quo apparet, lunares curſus duodecim, ab vno ſolari curſu, vndecim diebus, & quarta vnius diei ſuperari. Idcirco & Græci & Iudęi, ternos intercalares menſes, octauo cuique anno adiiciunt. Etenim ſi vndenos cum vnius parte quarta octies repetiueris, trium menſium ſpatium conficies. Neque enim illi (dicet is) ab inſtituto Apoſtolorum deflexiſſe videntur: aut ſi deflexerunt, quî fit, vt non in cæteris fides eis detrahi poſſe videatur? Sanè quidem ea eſt, concedo, authoritas veterū, & antiquitatis nomine cōmendatiſſima, & ab omni ſuſpitio-

Euſeb. cap. 1 de demonſtrat. Euang.

ctè quadrare anni Cæſariani circu lum tradunt Mathematici: vt Ioannes Stophlerus Mathematicus teſtis eſt, quem breuitatis cauſſa prętermittimus, Ioannis Fernelij item Mathematici teſtimonio contenti, qui Stophlerum ſecutus, rem totã paucioribus complexus eſt. Atque hæc eius verba ſunt: Annus quippe Iulianus, cuius apud eccleſiaſticos frequens eſt vſus, dierum eſt 365. cum quadrante. Anni ergo vndeuiginti dies 6939. & horas 18. complectentur: quo tempore dixerunt, lunam 235. reuolutiones ad amuſſim perficere: enimuero annis duodecim lunaribus communibus, & ſeptem emboliſmicis. Hæc tamen ſupputatio vſquequaque vera non eſt: quandoquidem reuolutiones illæ 235. exacta ſupputatione, die-

Propoſit. 37. Romani calendarij.

Propoſitio. 6. part. 2. in monālo ſpherij.

 bus

bus 6939.horis 16.minutiis 32.perficiuntur. Quo tempore ad alterũ relato, differentia eſt vnius horæ, minutorum 28.quibus ſanè cyclus vnus lunaris, minor eſt annis 19. Iulianis. Hęc Fernelius. Porrò cùm aureus, quem vocant numerus, è regione nouilunia indicet: vnde illa anticipatio quinque dierum? Rurſus quomodo ſi conſtat Cæſarianus anni circulus: inde exiſtens vndeuiginti annorum cyclus, & ratio canonis Victorini, ratio inquam ſeptem dierum paſchalium, inter ſeſe cohæreant? Neque enim quiſquam qui paulùm admodum ſapiat, ſic opinor, illã intelligat, quaſi paſchæ celebritas ſeptem dierum ſit: ſed quòd intra illos ſeptem dierum cancellos, per vices annorum iſtud ſubminiſtrante hebdomadarum

rum annalium viciſſitudine, continenda ſit. Sed rem totam, ſi quo modo fieri poſſit, diuinis teſtimoniis comprobemus.

CAPVT QVINTVM de falſa Cæſarianorum ſententia, déq; vero temporum aſtrorúmque curriculo diuina teſtimonia.

NVNC ad diuina teſtimonia veniamus: quæ non modò ad Cæſarianam ſententiam refutãdam, ſed ad noſtram etiam demũ confirmandam pertineant. Ergo ſi initium diei ſecundum Cæſarem, à media nocte ducendum eſt: quæ eſt iſta noctis diſtributio, vt dies à nocte incipiens in noctem

rurſus

rurſus deſinat? Cur verò cùm initiò tenebrę eſſent, (vt diuinis literis
Gene. 1. proditum eſt) ſuper faciem abyſſi, inde facta eſt lux? Aut cur illud quoque ſcriptum eſt: Et diuiſit lucem à tenebris, appellauítque lucē diem, & tenebras noctem: factúmque eſt veſpere & mane dies vnus? Aut cur à Paulo ſcriptum eſt: Nox
Rom. 13 præceſſit, dies autem appropinquauit? Aut cur denique, de tempore cœnę Dominicę verba faciēs, Qua nocte tradebatur (inquit) accepit
Cor. 11. Ieſus panem? &c. non autem vt noſtri, pridie quàm pateretūr? &c. vt hoc interim aduerſus eos dictū ſit, qui opinātur cœnam Dominicam à Chriſto feria quinta, non autem ſexta celebratam eſſe. Si verò initiū menſium, à menſe Ianuario ſumendum eſt, vtique is ipſe menſis natalis

-talis mundi eſt: quod tamen vt vel ex ſuperioribus conſtat, falſum eſt. Sed quomodo cùm Moſes, Hæbræis de terra Ægypti egredientibus dixiſſet, Menſis iſte vobis principium menſium, primus erit in menſibus anni: poſtea eadem Hebræis repetens dicit, Septem diebus veſceris azymis, ſicut præcepi tibi in tempore menſis nouorum. Menſe enim verni temporis egreſſus es de Ægypto? Tum ſi alius mēſis ortus, obitúſue, lunæ verò alius: cur à Salomone ſcriptum eſt, Menſis ſecundum nomen eius (lunę videlicet) eſt creſcens mirabiliter in conſummationē? Etenim Hebraica dictio יָרֵחַ ïarcha, lunā ſimul, & menſem deſignat. Quin cùm apud Gręcos μήνη lunam: μὴν vtiq; mēſem quoque ſignificat. Item, cur

Exo. 34.

Eccl. 43.

o cùm

cùm à Moſe ſcriptum eſſet, Menſe primo, 14, die menſis ad veſperum,
3.Eſd.1. Phaſe domini eſt: Eſdras Ioſiā immolaſſe ait Phaſe 14, luna primi mẽſis? Rurſus, Si luna dies pauciores 30. menſis verò modò 30. modò verò plures, nunc etiam pauciores cõtineat: cur ſcriptum eſt, Anno ſexcenteſimo vitæ Noe, menſe ſecundo, 17, die menſis, rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnę? ac paulò pòſt, Obtinuerúntque aquæ terram, cẽtum quinquaginta diebus? Tum,
Gen. 7.
Gen 8. Reuerſæq; ſunt aquæ de terra eũtes & redeuntes, & cœperunt minui poſt cẽtum quinquaginta dies: requieuítque arca menſe ſeptimo, vigeſimo ſeptimo die menſis ſuper montes Armeniæ? Nam vt menſis dies neque pauciores 30, neq; plures contineat: centum quinquaginta

ta dies, quinque menſes præcisè ef ficiunt. At verò ſi menſis dies, plures paucioréſue 30 obtineat: ac poſtremò annus 365, dierum ſit cum quadrante, cur Ioannes dimidium hebdomadis, id eſt tres annos nobis & dimidium inſinuans ait: Et ciuitatem ſanctam calcabunt menſibus quadraginta duobus? Et dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis? aut etiam cap. ſeq. cùm dixiſſet, Et raptus eſt filius eius ad Deum, & ad thronũ eius: & mulier (videlicet amicta ſole & luna ſub pedibus eius) fugit in ſolitudinem, vbi habebat locũ paratum à Deo: vt ibi paſcat eam diebus mille ducentis ſexaginta: mox ſubiungit, Et datę ſunt mulieri alę duæ aquilæ magnæ, vt volaret in Apoc. 11

deſertum, in locum ſuum: vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis? Etenim vt menſis ſecundum Ioannem 30 dierum ſit, & annus duntaxat trecentorum ſexaginta: (quod numerꝰ ille 1260, dierum apertè indicat) 1260, in quã dies pręcisè tempus, tempora, & dimidium temporis: id triennium cũ anni dimidio efficiunt. Poſtremò ſi ad curſum ſolis, non autem lunę, anni computatio exigenda eſt: cur per Salomonem ſcriptum eſt, Et luna in omnibus in tẽpore ſuo, oſtẽſio temporis: & ſignum æui: A luna ſignum diei feſti, luminare quod minuitur in cõſummatione? Quod ſi ita eſt: quomodo iam tam aurei numeri, quàm circuli vndeuiginti annorum ratio poſſit ſubſiſtere?

CAP

CAPVT SEXTVM de teſtimoniis veterum.

SI his inſuper veterum aliquot teſtimonia addidero, credo, nihil vltra à me requiri poterit: quod ad noſtram annui menſtruíq; curriculi rationem comprobandam pertineat: cũ vel vnicum illud à nobis prolatum Ioannis teſtimonium abundè ſufficiat, & ad legem Cæſariani calendarij euertendam, & ad eam quoque ſtabiliendam, quam inde mox demonſtraturi ſumus. Quod autẽ nullam omnino aliam rationẽ Philo Iudæus agnouerit, ipſe teſtis eſt, vbi ait, Ex vna die, fit vnum: è duabus duo: è tribus, tria: è menſe, tri- Libr. de mundi opificio

ginta. Ex anno tãtus numerus, quã tum dierum continetur duodecim menſibus. Num verò aliud eſt Hippolyti epiſcopi antiquiſſimi teſtimonium in eo opere, quod de cõſummatione mundi edidit? vbi ſcriptum eſt, ac dimidium hebdomadæ ſumẽt duo prophetę cum Ioanne, ad denunciandum per vniuerſum mundum aduentum Antichriſti: hoc eſt mille ducentos ſexaginta dies, amicti ſaccis: faciéntque ſigna? &c. Num aliam anni, mẽſiſue rationẽ videtur ſecutus Origenes? cùm ſcripſit, Quia autem in filiis Iſrael adduntur 273. neq; otioſum mihi videtur, neque abſolutionis viam facilè cerno: niſi dominus velamen iſtud impoſitum à Moſe his literis, adaperire nobis dignetur, & auferre? Igitur humani generis in

Homil 4. ſuper Numer

carne

carne generatio, ſicut aſſerunt qui in talibus periti ſunt, nouem quidem menſibus cõtinetur in vulua: ſed non prius moueri fertur ad partum, quàm decimi menſis triduũ tranſeat. Et ita inuenitur, quòd numerus iſte, id eſt 273, dies illos indicent: qui ex nouem mẽſibus, & triduo menſis decimi colliguntur. Et fiunt ſimul 273 dies iſti, quibus humano generi in hunc mũdum prębetur ingreſſus. Hęc Origenes. His ſi placet duos etiamnum teſtes, Clementem videlicet Alexandrinum, & Auguſtinum adiungamus: quorum ille cùm de menſe duntaxat quãtùm comperio, mentionem fecerit, hęc ſcribit: Sed cùm ei permiſeris 30. diebus vt vult, lugere: cùm eius poſtea veſtes mutaueris, tanquam cum vxore, lege cum ea congredere Libr. 2. Strom.

gredere. In Deutoronomio autem vnde iſtud ſumptum eſt, pro eo mẽſem reperias: hic verò, vt nõ adeo antiquus, ſed interim magni nominis: ita partim antiquã legem retinuit, partim ad Cęſarianam ſectam declinauit his verbis, Annus etiam vnus, ſi duodecim menſes integri cõſyderentur, quos triceni dies complent (talem quippe menſem veteres obſeruauerunt, quem circuitus lunaris oſtendit) ſenario numero pollet: ſed infra. Sed quoniam ſicut menſem, circuitus lunę oſtẽdit hominibus: ſic annus, circuitu ſolis animaduerſus eſt. Reſtant igitur quinque dies, & quadrans diei, vt ſol impleat curſum ſuum, annúmque concludat. Hęc Auguſtinus. vnde conſtat, quàm periculoſa ſit, quámque lubrica, paternarũ traditio

Libr. 4 de Trin. cap. 4.

ditionũ ſimplicitate derelicta, philoſophorum conſectatio. Sed & ſi tum ſacræ paginæ, tum etiam veterum teſtimonia deficiant: adhuc hoc anni ſpatium, & curriculum, nos ipſa ratio doceat. Etenim ſi die ſiue etiam nocte, è duodecim horis exiſtente: menſis (quem annum lunarem vocant) 360 tantùm horas, ſiue illas diurnas, ſiue nocturnas complectitur: annus qui perinde duodecim menſium eſt, vtique totidem, neque verò plures, paucioréſue dies, aut noctes recipit. Quæ cùm ita ſint, vel exiguum habenti ſenſum opinor, iã perſpicuum eſt: ſiue dies, quos Græci ὑπερβαίνοντας, aut etiam ἐπάκτας, appellant, ſiue menſes, quos ἐμβολίσμους, ſiue etiam cyclum vndeuiginti annorum ex iſta annorũ ratione conflatum, atque adeo

gredere. In Deutoronomio autem vnde iſtud ſumptum eſt, pro eo mẽſem reperias: hic verò, vt nõ adeo antiquus, ſed interim magni nominis: ita partim antiquã legem retinuit, partim ad Cęſarianam ſectam de-
Libr. 4 de Trin. cap. 4. clinauit his verbis, Annus etiam vnus, ſi duodecim menſes integri cõſyderentur, quos triceni dies complent (talem quippe menſem veteres obſeruauerunt, quem circuitus lunaris oſtendit) ſenario numero pollet: ſed infra. Sed quoniam ſicut menſem, circuitus lunę oſtẽdit hominibus: ſic annus, circuitu ſolis animaduerſus eſt. Reſtant igitur quinque dies, & quadrans diei, vt ſol impleat curſum ſuum, annúmque concludat. Hęc Auguſtinus. vnde conſtat, quàm periculoſa ſit, quámque lubrica, paternarũ tra-
ditio

ditionũ ſimplicitate derelicta, philoſophorum conſectatio. Sed & ſi tum ſacræ paginæ, tum etiam veterum teſtimonia deficiant: adhuc hoc anni ſpatium, & curriculum, nos ipſa ratio doceat. Etenim ſi die ſiue etiam nocte, è duodecim horis exiſtente: menſis (quem annum lunarem vocant) 360 tantùm horas, ſiue illas diurnas, ſiue nocturnas complectitur: annus qui perinde duodecim menſium eſt, vtique totidem, neque verò plures, paucioréſue dies, aut noctes recipit. Quæ cùm ita ſint, vel exiguum habenti ſenſum opinor, iã perſpicuum eſt: ſiue dies, quos Græci ὑπερβαίνοντας, aut etiam ἐπάκτας, appellant, ſiue menſes, quos ἐμβολίσμους, ſiue etiam cyclum vndeuiginti annorum ex iſta annorũ ratione conflatum, atque adeo

aureum (quem vocant) numerum, planè eſſe rei incertæ perfugia.

CAPVT SEPTIMVM de annuo, menſtruóque curriculo: déque eius conuenientia cum Victorino canone, & vero, abſolutóque temporum circulo, & æquinoctio verno.

CVM hactenus à nobis monſtratum ſit, hallucinatos eſſe circa curſum, ordinémque temporum, quotquot aut animi ſenſa, aut Cæſarianam aſtrorum diſciplinam ſecuti ſūt. Tum verum, atq; germanum menſis, anníque circulum, abundè tam diuinis, quàm veterum teſtimoniis oſtendiſſe videmur. Proinde reliquum aliud (vt o-

pinor

pinor)nihil eſt,niſi, vt de eius quoque conuenientia cum Victorino canone, ſicut ante ſumus polliciti, pro viribus diſſeramus. Primùm itaque, vt à primo veſpere diei (ſicuti ſupra oſtenſum eſt) & ab ea item luna,anni initium ducẽdum ſit,in cuius 14.diem (vti Philo ait) æquinoctium vernum incidit, vt menſis quoque perpetuò 30.tãtùm dierum ſit,quem nimirum luna cœpta, atque finita concludat: annus verò ſimiliter 360, dierum duntaxat numero concludatur. Vt denique tam aurei (quem vocant) numeri,quàm cycli vndeuiginti annorum ratio funditus ſublata ſit: ſciendum eſt, nullum exiſtere temporum circulum, præter eum quẽ Moſes præfigurauit: celebrata à ſe toties non dierum tantùm, ſed &

Libr. 3. de vita Moſis.

menſium, & annorum,atque adeo azymorum panum hebdomada. Cuius de paſchali tempore legem complentes Apoſtoli, tandem ſtatuiſſe perhibētur: vti Dominicum Paſcha die Dominica,à 14,luna primi menſis,vſque ad 21.diem eiuſdē celebraretur. Nam quemadmodū qui è ſeptem diebus azymorum,id eſt paſchalium temporum primus eſt:dum his exactis octauus videtur,reuera primus denuò manet. Similiter qui aut ſeptem menſium aut denique ſeptem annorum primus dies eſt:menſium,annorúmq; ſupra à nobis commemorata ratio ne perpetuo retenta, idem quoque certè exacto ſeptem menſium annorúmue ſpatio primus exiſtit:verbi gratia,Si dies Dominicus in primam lunam,primúmque diem primi men

mi menſis (qui vulgò Martius dicitur) anni ſequentis inciderit: idem quoque in primum diem octaui, tam mẽſis quàm anni incidet. Etenim cũ ſeptenarius numerus quater repetitus 28. efficiat: ſingulis vtique menſibus, ex ſeptenis illis diebus ita multiplicatis, iã bini ſuperſunt: qui item ſepties repetiti, duas ſeptimanas efficiẽt: vnde fit vt octauo quoque menſe, annóue, qui dies initiò primus exiſtebat, in priſtinũ locum, ſedémque redeat. Quod vt planius fiat, hæc ſit paſchalium tẽporũ, huius proximæ annalis hebdomadæ, anníque conſequentis, qui & octauus & primus eſt, tabula. Qua comperta vtique deinceps conſequentium hebdomadarum ratio conſtabit, pariter & inueſtigandi paſchatis.

Septem dies plenilunij primi menſis.

Temporum paſchalium germana digeſtio per annales hebdomadas.

Anni domini.	Anni huius annalis hebdomadæ,	Sedes anniuerſarij paſchatis.
1562	1	15 luna
1563	2	20 luna
1564	3	18 luna
1565	4	16 luna
1566	5	21 luna
1567	6	19 luna
1568	7	17 luna
Annus octauus qui & primus manet.		
1569	1	15 luna

Hęc annorum per hebdomadas cō putatio, inueſtigandíque paſchatis ratio, cui iam vel vtcunque hebeti ingenio, non videtur cùm plana ac facilis, tum mirabili octo curſuum ambitu orbéque prædita? Sed quærat forſan aliquis, vnde iſta proximi paſchatis Dominici ſedes à nobis deprehenſa ſit: cui reſpondebimus, ex Daniele in primis deprehenſam eſſe, vbi ait, Et confirmabit pactum multis hebdomada vna. Et in medio hebdomadæ, deficiet hoſtia & ſacrificium: & erit in templo abominatio deſolationis: & vſque ad conſummationem & finē perſeuerabit deſolatio. Atq; adeo iam hæc ſi placet, quonam pacto completa ſint, exploremus. Sanè literis ſacris proditum eſt, Chriſtū, cùm propheticus ille ſermo complere

pleretur, & noua annorum hebdomada emergeret: triginta annos agentem, primum omnium à Ioanne baptizatum, continuo in deſertum quadraginta diebus actum eſſe. Quibus exactis, tradito tum in carcerem Ioanne, in Galilęam inde perrexit, prædicans (ſicut ait ſcriptura) Euangelium regni Dei, &
Marc. 1. dicens, Quoniam impletum eſt tẽpus, & appropinquabit regnum Dei. Lex enim vt ſcriptum eſt, & Prophetæ vſque ad Ioannem pro-
Mat. 11. phetauerunt. Tum in ciuitatẽ Nazareth profectus, & die ſabbati in ſynagogam ingreſſus, vt traditum
Luc 4. ſibi Iſaiæ librum reuoluit, locum hunc nactus eſt, Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, prædicare captiuis

captiuis remiſſionem, & cæcis viſum, dimittere confractos in remiſſionem, prædicare annum domini acceptum, & diem retributionis, quem cùm legiſſet, cœpit (inquit ſcriptura) ad eos dicere, quia hodie impleta eſt hęc ſcriptura in auribus veſtris. Quoquidem tēpore Chriſtus 30 annorum, annus Dei acceptus, vt Clemens ex Petro ſcribit, Libr. 4. recog. porrò ſi licet quod in mentem venit, ſanctiſſimis illis veterum teſtimoniis annectere, quot diebus annus concluditur: tot menſes 30. annos complecti reperias. Chriſtus (inquam) 30. annorum, & annus Dei acceptus, tū apoſtolos nactus duodecim menſes, cùm per triennium Euangelium prædicaſſet: in dimidio hebdomadis tādem abrogatis, etſi non protinus euerſis Iu-

 dæorum

dæorum ſacrificiis, ſemetipſum hoſtiam pro nobis in ara crucis obtulit. Sed & ex eo elici poſſit, Chriſtũ mortem in dimidio hebdomadis pertuliſſe: ſi tabulæ ſuperioris habita ratione, ſeriem temporum computaueris. Etenim Chriſtum 16. luna primi menſis, quæ noſtri paſchatis dies extitit, à mortuis excitatum eſſe manifeſtum eſt. Quæ cùm ita ſint, ſi ab eo tempore, id eſt à 30. ætatis Chriſti anno, qui hebdomadis primus eſt, per annales hebdomadas, annos ad hoc vſque tempus recenſueris, reperias (ni fallor) præſentem annũ eſſe hebdomadis extremum: & hoc anno ſequenti nouam hebdomadẽ emergere. Quod ſi rurſus quærat aliquis, vnde iſta ſedes, ſeriéſque paſchalium temporum ſuperioris tabulæ conſtet: reſponde

ſpondebimus, ex viciſſitudine dominicorum dierum: qua vſque ad eum diem dominicum, qui his ſeptem primi menſis diebus continetur euoluta, demum cuiuſque paſchatis ſedem reperiat. Cęterùm hac quoque via, iſtud liceat in promptu, ac non ſine myſterio aſſequi, ſi rationem is ſequatur ſenarij numeri: qui (vt Philo ſcribit) perfectus eſt, & inter numeros lege naturæ generationi aptiſſimus: vtpote quo mundi, eorúmque quæ mundo cõtinẽtur, perfectio nobis exhibetur: vt reliqua ſenarij numeri myſteria taceam, quæ iam à me primo capite huius libri delibata ſunt. Etenim à die paſchatis primi anni, ad diem vſque paſchatis ſecundi, ſex ſupra commemorati plenilunij dies exiſtunt: atque ita deinceps, verbi gra-

Libr. de mundi opificio

tia, cùm primi anni paſcha, in 15. diem primi menſis incidat, vt paſchatis ſecundi anni ſedem aſſequatur: ſic iſtud per ſenarium, vt ante dictum eſt numerum, computabit: 15.16.17.18.19.20. 20. ergo die primi menſis ſecundi anni paſcha reperiat. Sic autem ſedem item paſchatis anni tertij, à die ſecundi paſchatis incipiens aſſequetur, 20.21. 15.16.17.18. 18. ergo die tertiũ paſcha ſit: ſicq; deinceps. Hæc habuimus, quę de ratione temporũ, déq; cancellis paſchatis dominici diſſeremus: quæ patrib⁹ cõſideranda offerimus, ac ſi illis rationi veritatíque conſentanea videbuntur, repudiato tũ Cæſariano Calendario, cum profanis dierum, menſiúmq; nominibus, ea comprobent: ſicque vel in tantis rei eccleſiaſticæ angu-

ſtiis

ſtiis, conſolentur ſeſe: : quibus dominus ſpem facere videtur melioris cuiuſdam ſucceſſus, qui extremis his & turbulentiſſimis temporibus, rem tandiu deſyderatam, demum per manus hominis abortiui reſtituerit. Sin minus, ei ignoſcant, qui certè nec nouitatis, nec honoris, lucríve, ſed veritatis ſtabiliendæ ſtudio, ad ea communicanda, que ſibi recta, & vtilia viſa ſunt, ad ductus eſt.

DE LOCO PASCHATIS DOMINICI, ID EST DE TEMPLO, DE Liturgia, déque Chriſtianorum conuentu, Liber tertius.

PRÆFATIO.

NE QVID amplius lector, hoc poſtremo libro (qui haud leuiora fortè ſuperioribus, quin grauiora potiùs, & reconditiora præ ſe ferre videtur) expectet; præter id quod circa communem ferè homi num vſum verſatur, præſertim in explicandis Liturgię myſteriis, hęc pauca præfari viſum eſt. Illum etenim monitum velim, me ideo potiſſimùm

ſimùm conſultò ab huiuſmodi my ſteriis abſtinuiſſe, quòd & priſcos illos data opera, de hiſce parciſſimè ſcripſiſſe intelligerem: dum vtique ſumma quæque ſilentio honoranda eſſe ſtatuerẽt: ſecundum id quod apud Tobiam legitur, vbi ait: Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt: & ea animaduerterem ſatis ſupérque forſitã diuulgata. Quim iis aperienda ea me reliquiſſe fateor, quib⁹ id muneris & meliùs, & tutiùs ex profeſſo perſequi liceat. Mihi verò tantùm reſeruaſſe, quæ & tacuiſſe fortè pœniteat, & in vulgus, his prçſertim temporibus proferre liceat, & expediat.

Clemẽs libro 1. recogn.

Cap 12.

Cap

CAP. I. DE TEMPLIS Chriſtianorum, eorúmque partibus.

PRIMO huius noſtri tractatus libro, ratio dominici paſchatis expoſita eſt: Secundo verò, ratio paſchalium temporum, & ad Moſaicam figuram relata ſingula. Reliqua materies circa rationem iam templorũ, liturgiam, conuentúmque Chriſtianorum verſari videtur. Porrò vt de templis primùm diſſeramus, Quid iſtud, quod ex Moſe ſuprà à nobis citatum eſt, agnus in vna domo comedetur, niſi magnum illud
Marc 14 ſtratúmque cœnaculum, quod dominus ſibi celebrãdi paſchatis cauſſa parari voluit, pręfigurabat? Quid vero

verò illud cœnaculum,niſi templa noſtra repręſentat? Sed forſan dicat aliquis,num vllus Euangelicorum (vt vocãt) ad quos videtur iſte ſermo potiſſimùm pertinere, templa repudiat? Quid quæſo ſimul cum ſacrificio, altaria reiicere, & aſpernari potiſſimam templorum partem, aliud quàm templa repudiare eſt? Quid verò templa ſine altaribus, aliud iã quàm ædes profanæ ſunt? Atqui rurſus fortè quærat aliquis, ſi iſtud eſt, quomodo Malachias oraculo ſignificat, in omni loco ſacrificatum iri oblationem mundam? Cui reſpondemus, cùm in nullo à reliquis prophetis diſcordet, iuxta mentem eius, hunc locum intelligendum eſſe, qui ait, Vide ne offeras holocauſta tua in omni loco quem videris: ſed in lo- Malac.1. Deut 12.

co quē elegit dominus Deus tuus. Quod poſtea implentes, & poſteris exemplum inſtituentes apoſtoli, à domino vbi ſibi paſcha parari vellet, poſtularunt. Quorum imitatione Clemens iiſdem temporibus hæc de templorum ratione literarum monumentis prodidit. Hîc er-
Epiſt. 3 cap. 25
go, hoc eſt in præſenti vita poſitos, oportet nos agnoſcere voluntatem Dei: vbi & agendi, & ſacrificandi locus eſt. Quoniam in aliis locis ſacrificare, & miſſas celebrare non licet: niſi in iis, in quibus epiſcopus proprius iuſſerit, aut ab epiſcopo regulariter ordinato, tenente videlicet ciuitatem conſecratus fuerit. Aliter enim non ſunt hæc agenda, nec ritè celebranda, docente nos nouo & veteri teſtamento. Hæc Apoſtoli à domino acceperunt, &
nobis

nobis tradiderunt: hæc nos docemus, vobíſque hæc omnibus abſq; reprȩhenſione tenere, & docere, quibus agendum eſt, mandamus. Idem rurſus. Eccleſias (inquit) per congrua & vtilia facite loca: quæ diuinis precibus ſacrari oportet, & non à quoquam grauari. Atq; adeò ſub finem libri 10. recognitionum hæc ſcribit: Intra ſeptem dies, plus quàm decies mille homines, (Antiochiæ videlicet) credentes Deo, baptizati ſunt, & ſanctificatione cõſecrati. Ita vt omni auiditatis deſyderio, Theophilus qui erat cunctis potentibus in ciuitate ſublimior, domus ſuæ ingentem baſilicam Eccleſiæ nomine conſecraret. In qua Petro Apoſtolo conſtituta eſt ab omni populo cathedra: & omnis multitudo quotidie, ad audiẽdum

Epiſt, 2. cap. 26.

verbum conueniens,credebat eius doctrinę, quam ſanitatum efficacitas adfirmabat. Hactenus Clemẽs. Hanc quoque diſciplinæ normam ſecutus Martialis,Chriſti (vt ſuprà à nobis dictum eſt)diſcipulus ad

Cap.8. Tholoſanos ſcribens, Aquitaniæ regem,Eccleſias per ſuum regnum prout ſpiritui ſancto, ſibiq; viſum eſt, conſtruxiſſe ait. Sed & eodem tramite incedens Anacletus, Deo

Epiſt. 1. cap. 13. ſacrificantes (inquit)perfectè, non debent vexari,ſed portari,conſolari,atq; ab omnibus venerari.Ipſi autem quando domino ſacrificant, non ſoli hæc agere debẽt: ſed teſtes ſecum adhibeant, vt domino perfectè in ſacratis Deo locis, ſacrificare probentur. Ait nanque authoritas legis diuinæ, Vide ne offeras holocauſta tua in omni loco,quem vi

deris

deris: ſed in loco quem elegit dominus Deus tuus. Ac paulò pòſt, Sic enim & Apoſtoli docuerunt, & & ſancta Romana tenet eccleſia. Porrò horum omnium ſententiam explicans idem Martialis, hęc rurſus ſcribit, Sacrificium Deo creatori offertur in ara, non homini neq; angelo, non ſolùm in ara ſanctificata, ſed vbique offertur Deo oblatio munda: ſicut teſtatus eſt, cuius corpus & ſangunem in vitam æternam offerimus. Quid denique Philo Iudæus, de templis Ægyptiorũ monachorum verba faciens? Eſt autem (inquit) in ſingulis locis conſecrata orationi domus, quæ appellatur σεμνεῖον vel μοναστήριον· σεμνεῖον autem noſtris eſt honeſtorum conuenticulũ. In quo ſecedentes (inquit) honeſtę & caſtæ vitæ myſteria celebrant:

Epiſt. ad Burdeg. cap. 3.

Libr. de vita cõtemplatiua.

nihil illuc prorſus quod ad cibum, potúmq; pertinet, inferẽtes, vel ad reliqua humani corporis miniſteria: ſed legis tantùm libros, & volumina prophetarum, hymnos quoque in Deum, cæteráque his ſimilia, in quorum diſciplinis atque exercitiis inſtituti, ad perfectam beatámque vitam, ſtudiis iugibus coaleſcũt. hęc Philo. Sed quid (quęrat aliquis) quod diuis etiam paſſim, non autem ſoli Deo apud vos templa cõſecrata ſunt? Atqui iſtud quoque vel ab Apoſtolis ſumptũ, docere facilè ſit. Sed Abdiam Apoſtolorum diſcipulum audiamus, vbi de Ioannis Apoſtoli obitu, déque quorundam cõuerſione. Qui, inquit, cùm baptizati fuiſſent, cum vniuerſis domibus & familiis ſuis, affinitatibúſque fregerunt omnia ſimula

Libr. 5 de hiſtoria certaminis apoſtolorum.

ſimulachra, & fabricauerunt baſili
cam in nomine ſancti Ioannis. In
qua ipſe Ioannes Apoſtolus aſſum-
ptus eſt hoc ordine. Cùm eſſet an-
norum nonaginta ſeptem, apparuit
ei dominus Ieſus Chriſtus cum diſ
cipulis ſuis, & dixit ei, Veni ad me:
quia tempus eſt, vt epuleris in con-
uiuio meo cum fratribus tuis. Itaq;
cùm ſurrexiſſet Apoſtolus, addidit
idem dominus: Dominica reſurre-
ctionis meæ die, quæ poſt quinque
dies futura eſt, ita venies ad me: &
cùm hęc dixiſſet, cælo receptus eſt.
Interea illuceſcente Dominica, cō-
uenit vniuerſa multitudo ad eccle-
ſiam, quæ in eius nomine erat ex-
tructa, vt hoc quoque interim, ad-
uerſus eos dictū ſit, qui cælo Chri-
ſtum alligatum volunt. Idem verò
rurſus lib. 7. his verbis Matthæum
Apo

Apoſtolum locutum refert. Et nũc omnes qui capaces tam euidentis rationis eſtis, aurum, & coronas aureas, & argentum ab oculis meis tollite: & his diuenditis, templum domino extruite, atque ibi congregemini ad audiendum verbum domini. Quo audito, intra triginta dies vndecim millia hominum cõgregata, fabricantia eccleſiam ſanctam conſummauerunt. Et vocauit nomen templi Matthæus, Reſurrectio: quoniam per reſurrectionem occaſio ædificationis extiterat. Hæc Abdias. In eandem porrò ſententiam hæc in concilio Gangrenſi Conſtantini magni tempori bus ſancita ſunt. Si quis per ſuperbiam, tanquam perfectum ſe exiſtimans, conuentus, qui per loca, & baſilicas ſanctorũ martyrum fiũt, vel

Idẽ Martial cap. 4. ad Burdeg

Cap 20

vel accuſauerit, vel etiam oblationes, quæ ibidem celebrantur, ſpernendas eſſe crediderit, memoriáſque ſanctorum contĕnendas, anathema ſit. Quæ cùm ita ſint, pauca etiam de templi partibus dicenda ſunt: vt ſic pulcherrimus ille, atque abſolutiſſimus ordo priſcæ œconomiæ eccleſiaſticæ faciliùs innoteſcat. Præcipuæ itaque templi partes hæ ſunt: Sacrarium, Adytum, Pulpitum, interior templi ambitus, Atrium, Baptiſterium. Sacellum etenim (quod in templis noſtris frequens eſt) haud in templi partem agnouit, quantùm intelligo, priſca Dei eccleſia: cùm pro numero dũtaxat templorum, tum preſbyteri ſinguli quique per ſingulos titulos ſuos, atque eccleſias ordinarentur. Porrò tria illa ſuperiora, videlicet

ſacrarium, adytum, & pulpitum, à reliquis templi partibus, etiã olim cancellis ſecreta erant. Sacrarium autem locus eſt, in quo altare ſitũ eſt, velo quondam, cortinarum loco, quæ hodie in vſu ſunt, ab adyto
Clem. ca pi. 9. epi 2. diſtinctũ: & quãtùm cõperio, etiã ſepto reticulato, ſicut adhuc in nõnullis tẽplis videre liceat. Sacrarij, altaríſque Paulus his verbis memi
1. Cor. 9 nit. Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edunt? & qui altari deſeruiũt, cum altari participant? Adytum verò eſt locus clericorum proprius: cuius omniúmque ferè, quorum ſuprà mentio facta eſt, Dionyſius item
Epiſt. ad demoph. monachum. meminit his verbis: An verò non hoc ipſum ſacra ſigna proclamãt? neque enim ſancta ſanctorum ſimpliciter omnibus ſunt inacceſſa?
Veru

Verùm his appropinquat magis pō- tificum ſacra diſtinctio: deinde ſacerdotum ordo, quos deinceps & miniſtrorum ſequitur gradus. Porrò iis, qui cultores ſeu monachi ſunt ordinati, adytorum portæ occluſæ ſunt: iuxta quos & initiantur & aſtant, non ad cuſtodiam, ſed vt ordinem recognoſcant ſuum: ſuntque ipſi populo propinquiores, quàm qui ſacra adminiſtrant: & quàm populus, ipſis quoque ſacerdotibus magis accedentes: vnde & ſacrorum ſanctus ordo, ſacérque principatus, eos diuina percipere ſacrè inſtituit: aliis quidem qui intra adytorum valuas ſunt, ſacrorū adminiſtrationem cōcedens. Nam ij qui diuinum, vt expreſſiùs dixerim, altare circunſtant, diuina intuentur, atque audiunt apertè ſibi

reuelata: procedentéſque benigniſſimè ad exteriora ſacrorum velaminum, ſubiectis cultoribus, & ſacro populo, & iis qui purgantur ordinibus ſacra myſteria prò meritis pandũt. Hactenus Dionyſius. Pulpitum autem notius eſt, quàm vt eo explicando immorari debeam: ad cuius ianuam aliud quoque velum quondam expaſſum erat: eiúſque in nonnullis locis adhuc veſtigium ſupereſt. Huius item Cyprianus meminit, de Cornelo lectore ſcribens his verbis: Hũc ad nos fratres dilectiſſimi cum tanta domini dignatione venientem, teſtimonio, & miraculo eius, & ipſius qui ſe perſecutus fuerat illuſtrem, quid aliud quàm ſuper pulpitum, id eſt ſuper tribunal eccleſiæ oportebat imponi? vt loci altioris celſitate ſubnixus

Epiſt. 5. lib. 4.

nixus, & plebi vniuerſæ, pro honoris ſui claritate conſpicuus, legat præcepta Euangelij domini, quæ fortiter ac fideliter ſequitur? Cæterùm interior templi ambitus, viris attributus: Atrium verò fœminis deſtinatum eſt. Baptiſterium denique quidnam ſit, vel ipſa verbi notatio ſatis indicat: è regione verò tẽpli, ídque in ipſo veſtibulo haud ſine myſterio ſitum eſt. Hactenus de templorum ratione. Nũc de ritu Dominici paſchatis dicendum eſt.

CAPVT SECVNDVM de Caluinianorum errore, circa ritus Dominici paſchatis.

QVEMADMODVM qui viribus diffidunt in oppugnatione arcis,ad cuniculos ſeſe conferunt:ſimiliter Caluiniani, cũ odorentur illud noſtrum paſcha, ſacrificiúmve, firmius fundatiúſq; eſſe,quàm vt facilè euerti poſſit,ad cæremoniarum oppugnationem conuertuntur : dum nouam & antea inauditam miſſam, ex Alexandrina Paganicorum ſacrorum farragine ferè conflatam comminiſcuntur. Quod liber, vel ipſa libr epiſtola anonymi hominis abundè teſtatur, qui nuper Gallico ſermo

ne de ſignis ſacris, &c. euulgatus eſt. Vbi inter cętera videre interim liceat, quàm inconſyderatè, & inſubidè ille in ſeſe diuiſus effutierit, de noſtra ſacrificij arce (quam vocat) non cuniculis à ſe tantùm, ſed trãſuerſis etiam cuniculis oppúgnãda: quaſi verò tranſuerſis etiam cuniculis oppugnari poſſit: aut quis neſcit, arcem inde minimè quidẽ oppugnari, vnde è contrario cõſeruetur incolumis? Porrò Dei benignitate haud deſunt (vti opinor) tranſuerſi cuniculi, quibus iſtiuſmodi cuniculos excipiamus atque euentilemus. Etenim primùm omniũ, vt rem totam breuiter perſtringamus, quod teſtimonium nobis rei antiquiſſimæ Caluiniani proferũt? (nam Numa Pompilius 700. circiter annis ante Chriſti aduentum

exti

extitit) an pariter antiquiſſimum? Atqui Alexander ab Alexandro, in cuius ferè teſtimonio tota cauſſa nititur, vel etiam Blondus, circa annum 1480. vixit. Aut ſi illi tantũ cauſſæ confidunt, quidni Plutarchi longè vetuſtiſſimi teſtimonio contenti ſunt, qui Numæ Pompilij vitam literarum monumentis prodidit? Neſciunt illi, idem ſibi à nobis expectandum, quod in nos cõmittunt, cùm recentiorum teſtimoniis nitimur? Sed recipiatur ſanè noui hominis teſtimonium. Num interim quæ ab Alexandro ex variis multiplicibúſque variarum gẽtium ſacris, in vnum collecta ſunt, vni Numæ cõtinuò tribuẽda ſunt? Iam verò vbi ab Alexandro vl lum, vti ille Pompilianæ miſſæ a chitectus & cõcinnator ait, de mi

ſa ve

ſa verbum factum eſt? Etenim quæ iſta miſſæ aſſertio, ex eo quod olim in Ethnicorum ſacris, à ſacerdote i, licet ſucclamatum ſit, qua voce populum miſſum faceret? aut ex eo etiam, vti vult, quod apud Græcos olim ſacerdos, λαοῖς ἄφεσις renũciaret? quaſi ſic populum dimitteret? Aut quæ miſſæ notatio eſt, vt miſſa à dimittendo populo, etiam ſi b, Renano placeat) dicta ſit? Quod ſi recipitur, quomodo verba hæc inter ſeſe cohereant: Ite miſſa eſt? vt miſſa miſſionem ſignificet? Tum illa cleri reſponſio, Deo gratias? aut illa etiam, quibus veteres vſi ſunt, miſſas ſuſcipere? Deinde verò peto, vti Alexandri ab Alexandro teſtimonium conferatur cum eo ignoti hominis opere, priuſquam iſta ſententia ſuſcipiatur. Tum demum

t iudice

iudicetur, an iſta ſacrorum analogia vera ſit.vt ne iis, quæ à vero diſ crepant,recenſendis diutius immo rer. Nam ſi quiſquis ille eſt, vel ab ipſo ſtatim limine falſum protulit: (neque enim apud Alexandrum

Al x ab i,licet miſſa eſt,vti refert, reperias:
Al-xau lib 4. ſed duntaxat i,licet)quid ab eo no-
cap. 17. b.s in reliquo eius opere expectandũ eſt?In ſumma,quæ eſt illa quæſo, ratiocinandi methodus,ea quæ inter nos minimè conueniant,tanquam confeſſa proponere? Neque enim fatemur, vt etiam Pompilianis cæremoniis haud abſimiles noſtræ ſint, id à nobis vlla Pompilij imitatione fieri. Quinimo è contrario dicimus:Quicquid in Ethnicorum ſacris noſtros ritus vlla ex parte refert: eos idipſum ex nobis noſtríſve veteris teſtamenti libris,ſua

ſu dæmonum ſumpſiſſe, aut potius ſuffuratos eſſe: in quibus & myſteria omnia noſtri paſchatis, liturgiæque recōdita ſunt: quíque ſunt Numa Pompilio lōgè vetuſtiores. Sed Iuſtinum martyrem, Tertullianúmque audiamus, qui ſecundū cauſſam nobis oportuniſſimos trāſuerſos cuniculos ſuppeditarunt: ille his verbis, de cœna dominica verba faciens: Quod etiam imitati mali genij, in ſolis ſacris faciendum tradiderunt: panem enim, & potum aquæ poni in initiatione eius qui initiatur, cū certis quibuſdam verbis, aut ſcitis, aut cognoſcere poteſtis: Hic verò his etiam verbis: Sed quæritur à quo intellectus interpretetur eorum quæ ad hæreſes faciant: à diabolo ſcilicet, cuius ſunt partes interuertendi veritatem: qui

Libr. de præſcri. aduerſ. hæret.

ipſas quoque res ſacramentorum diuinorum, in idolorum myſteriis æmulatur. Tingit & ipſe quoſdã vtique credentes, & fideles ſuos, expiationem delictorum de lauacro repromittit: & ſic adhuc initiat mithre: ſignat illic in frontibus milites ſuos, celebrat & panis oblationem, & imaginem reſurrectionis inducit, & ſub gladio redimit coronam. Quid quod & ſuum pontificem in vnius nuptiis ſtatuit? habet & virgines, habet & continentes. Cæterùm ſi Numæ Pompilij ſuperſtitiones reuoluamus, ſi ſacerdotalia officia, inſignia, & priuilegia: ſi ſacrificãtia miniſteria, & inſtrumẽta, & vaſa ipſorum ſacrificiorum, ac piaculorum, & votorum curioſitates conſyderemus: nonne manifeſtè, moroſitatem illam Iudææ

imita

imitatus eſt? hæc Tertullianus. Sed quid ſi noſtræ liturgiæ ritus apoſtolicos eſſe, ex ipſis apoſtolicorũ virorum monumẽtis oſtendimus? Itaque illud exequamur.

CAPVT TERTIVM de etymologia Miſſæ nominis, de liturgia eiúſque partibus, déq; veterũ teſtimoniis.

CVM breuis, ſimpléxque ſit veritatis ſcientia, vt Clemẽs ſcribit, & ipſa ratio docet, quid multis, & his exquiſitis opus eſt? Itaque ad reliquã inſtituti operis materiam pergamus. In primis ergo dicimus: Miſ- Li. 8. recog ſub finem.

ſæ nomen, neque à mittendo, id eſt dimittendo populo dictum: ſicuti vult is noſtræ liturgiæ, aut potiùs ſui ipſius ſuffoſor, cuius ſupra mentionem fecimus: neque verò à nomine Hebraico מִסָּה miſſah, ſi Pagnino viro Hebraicis literis erudito credimus: quod tamẽ pleriq; exiſtimant, hic autem callidè ſubticuiſſe videtur, quod pro oblatione ab his illud accipi cerneret, vbi ait à nõnullis perperã ductum à מָעֻזִּים mahuzim, quod fortitudines & refugia ſignificat: conſonãtiꝰ verò מַסָּה à maſſah quod eradicationem ſiue conculcationẽ: aut etiam à nomine משאל miſſial, quod ſepulchrum aut inferos: ſed quantùm lectione veterum ſumus conſecuti, opinamur à mittendo quidem deriuatum: verũ non

84

nõ eo ſenſu, quo ille exiſtimat: ſed eo planè, quo Chriſtus à patre miſſus dicitur: veluti cùm ait, Sicut miſit me viuens pater, & ego mitto vos: & qui manducat me, & ipſe viuet propter me (vnde domini diſcipuli, Apoſtoli quoque, id eſt, miſſi dicti ſunt) habita nimirum ratione diſcriminis, quod eſt inter noſtra peregrináque ſacrificia. Dum hæc noſtra hoſtia, & à Deo patre primũ ad nos ſalutis noſtræ cauſſa miſſa eſt: & eandem eius quoque cauſſa ad eundem rurſus mittimus. Aut cur miſſa eo ſenſu non latina vtcũque etiam dictio ſit, perinde ac miſſus pro ferculo? Plurali verò numero à veteribus miſſas vt plurimũ dictas, vſurpatáſq; cenſemus: quod non Euchariſtia modò, ab agendis gratiis ſic nominata: ſed & preces, & lau

Vide ſuum ſub finẽ 20. ius cap.

& laudes etiam mittantur. Etenim tot ſunt liturgiæ noſtræ partes præcipuę: quas omnes ſi à vetuſtiſſimis quibuſque religionis noſtræ antiſtitibus obſeruatas docuerimus: nō ne tū demum apoſtolicę eſſe perhibebuntur? Itaque Dionyſium Areopagitam audiamus. Itaq; pōtifex (inquit) quidem vbi orationē ſanctam ſupra diuinum altare pergit, ex ipſo incenſum adolere inchoans, omnem fani ambitum circuit. Demum ad ſanctum altare iterum rediens, pſalmorū incipit melos, concinentibus ſecum ſacra carmina omnibus eccleſiaſtici ordinis gradibus: donec miniſtrorum officio, ſanctarum ſcripturarum lectio ſuo ordine recitatur. Poſthęc extra delubrum cathecumeni fiunt: & cum ipſis energumeni, & ij quoq; qui

Libr. de eccleſi. hier. ca. 3 part 2.

qui in pœnitentia ſunt. Manent autem intus ſoli, qui diuina ſpectare merentur, atque percipere. Porrò miniſtrorum alij quidem pro clauſis templi foribus aſtāt, alij proprij aliquid muneris agunt. Qui verò ipſius ordinis præcipui ſunt, vna cū ſacerdotibus ſanctum panē & benedictionis calicem ſacroſanctis āltaribus imponunt: cùm antè præceſſerit ab omni clero vniuerſalis laus atque confeſſio: ad hæc venerandus antiſtes, orationem ſanctiſſimam peragens, pacem ſanctam omnibus nunciat. Et cùm ſe mutuò omnes ſalutauerint, myſtica ſanctorum recitatio fit. Vbi verò manus tum antiſtes, tum ſacerdotes aquā lauerunt, Pontifex ad medium diuini altaris aſſiſtit: circumſtant autem ſoli cum ſacerdotibus

electi, quíq; ex miniſtrorũ numero. At verò Põtifex cùm diuina munera laude proſecutus fuerit, ſacroſancta & auguſtiſſima myſteria cõficit: & quæ antè laudauerat, venerãdis operta atque abdita ſignis, in cõſpectũ agit, diuináq; munera reuerẽter oſtẽdẽs, ad ſacrã illorũ communionem & ipſe cõuertitur, & reliquos vt communicent, hortatur. Sumpta demũ atque omnibus tradita communione diuina, gratias referens, finem myſteriis imponit. Hactenus Dionyſius. Huic verò ſi placet, etiam Iuſtini martyris teſtimonium connectendum eſt. Eſt autẽ eiuſmodi: Die qui ſolis dicitur, omnes qui in oppidis vel agris morantur, vnum in locum conueniũt: commentariáque Apoſtolorum, vel Prophetarum ſcripta leguntur, quan

Apolog. 2. ad Anton. Pii.

quandiu hora patitur. Deinde vbi is qui legit, deſtitit, is qui præeſt admonet, & hortatur: vt ea quæ lecta ſunt, bona imitemur. Tum ſurgimus omnes ac comprecamur: concluſíſque noſtris precibus, panis iã vt dixi, vinúmqne & aqua offeruntur: túmque is, qui primum locum tenet, eodem modo preces, & gratiarum actionem pro virili mittit: populúſq; benedicit, dicẽs, Amen. Et iis quæ cum gratiarum actione conſecrata ſunt, vnuſquiſque participat, eadémque ad eos qui abſunt, Diaconis dantur perferenda. Hæc Iuſtinus. Hæc vt opinor, filiis eccleſiæ ſufficiant ad comprobanda liturgiæ miſſarúmque ſolennia, vt ſuperuacaneum videatur, recẽtiores religionis noſtræ ſcriptores annectere.

CAPVT QVARTVM de Cæremoniis liturgiæ antiquis.

VERVM quærat forſan aliquis, Quorſum turba illa tam preſbyterorum, quàm diaconorum circum pontificem? quid ſplendida illa veſtimenta? quid item vaſa? quid denique luminaria illa inter miſſarum ſolennia. Primùm animaduertẽdum eſt nouem eſſe clericorũ ordines quorum quiſque tum proprij aliquid muneris exequitur. Porrò quid de ſuperiorum ordinum muneribus & veſtimentis Anacletus à B. Petro preſbyter (vti iam à nobis dictum eſt) ordinatus ſcripſerit, videamus. Epiſt. 1. cap 14. Epiſcopus (inquit) Deo ſacrificans, teſtes ſecũ habeat, & plures quàm alius

alius ſacerdos: ſicut enim maioris honoris gradu fruitur, ſic maioris teſtimonij incremento indiget. In ſolennioribus quippe diebus aut ſeptem, aut quinque, aut tres diaconos, qui eius oculi dicuntur, & ſubdiaconos, ac reliquos miniſtros ſecum habeat: qui ſacris induti veſtimentis, in fronte, & à tergo, & preſbyteri è regione dextra, leuáque cõtrito corde, & humiliato ſpiritu, ac prono ſtent vultu, cuſtodientes eũ à maleuolis hominibus, & conſenſum eius prębeant ſacrificio. Peracta autem cõſecratione, omnes cõmunicent, qui noluerint eccleſiaſticis carerere liminibus. Sic enim & Apoſtoli ſtatuerunt, & ſancta Romana tenet eccleſia. Hæc Anacletus. Quid verò Soter ij. Apoſtolicę etiã ſedis epiſcopus? Hoc quo- Cap. hoc quoque ut cõicc. diſtin. 1.

que inquit, ſtatutum eſt, vt nullus preſbyterorum miſſarum ſolennia celebrare præſumat, niſi duobus pręſentibus, & ipſe tertius habeatur: quia cùm pluraliter ab eo dicitur, Dominus vobiſcum, & illud, Orate pro me, aptiſſimè conuenit, vt ipſius reſpondeatur ſalutationi. Illud autem manifeſtum eſt, de miniſtris altaris intelligi: non autem de laicis, quibus altare Dei inacceſ
Clemẽs epiſ. 2. cap. 1. ſum eſt. Porrò tribus ſuperioribus gradibus, commiſſa ſunt ſacramenta diuinorum ſecretorum. Preſbytero videlicet, Diacono, & Subdiacono. Etenim pontificalis ordinis
Libr. de eccl. hierar. cap 5 part. 1. virtus (vt Dionyſius ait) in ſacris omnibus diſtinctionibus capitur: & per omnes ſacros ordines operatur propriè hierarchiæ myſteria: Acolytorum verò eſt, vrceum vacuum

cuum accipere, ad ſuggerendum
vinum in Euchariſtiam ſanguinis
Chriſti. Exorciſtarum inter cætera Cypria.
inquietos compeſcere. Ad lectores epiſ li. 4. epiſ.
verò Euangelicæ lectionis munus
pertinet, quæ è pulpito recitanda
eſt: vt à plebe exaudiri poſſit.
Cantorum autem munus eſt in
eccleſia pſallere. Oſtiariorum poſtremò
officium eſt, templi fores
forinſecus claudere. hactenus de
clericorum miniſterio. Quod ad
veſtimenta autem eccleſiaſtica
pertinet, ad id quod ex Anacleto
ſuprà allatum eſt, illud quoque Stephani
22. Ro. pont. teſtimonium accedat.
Veſtimenta verò (inquit) eccleſiaſtica,
quibus domino miniſtratur,
cultúſque diuinus omni cũ Ca veſti
honorificentia, & honeſtate à ſacer mēta de conſecr.
dotibus, reliquíſque eccleſiæ mini- diſtin 1.
ſtris

ſtris celebratur, & ſacra debent eſſe & honeſta. Quibus aliis in vſibus (cùm Deo eiúſque ſeruitio conſecrata & dedicata ſunt) nemo debet frui, quàm eccleſiaſticis, & Deo dignis officiis. Quare nec ab aliis debēt cōtingi, aut ferri, niſi à ſacris hominibus: ne vltro quæ Balthaſar Regē percuſſit ſuper hęc trāſgredientes, & talia præſumentes, veniat diuina vltio: & corruere eos faciat, diuinæ vltionis iuſtum flagellum. hæc Stephanus. Denique de vaſis, ornamētíſque, quid veterum literis proditum eſt? De vaſis ſanè ſacris (inquit Clemens) ita gerendū

Cap. 4. epiſt. 2.

eſt, altaris palla, cathedra, candelabrum, & velum, ſi fuerint vetuſtate conſumpta, incendio dentur, &c. ac paulò pòſt, Pallas verò, & vela, quæ in ſanctuarij ſordidata fuerint miniſte

miniſterio, diaconi cum humilibus miniſtris, iuxta ſacrarium lauent: non eiicientens foras è ſacrario velamina Dominicæ menſæ. Rurſus ibidem, Sanè peluis noua comparetur: & præter hoc nihil aliud tangat. Sed nec ipſa peluis velis apponatur lauandis: niſi quæ ad Dominici altaris cultum pertinent. Pallæ altaris ſolę in ea lauentur: & in alia, vela ianuarum. De velis autem ianuarũ cura ſit oſtiariis, ex admonitione maiorum: ne quis negligẽs aut ignarus, ad velũ ianuæ domus domini manus incognitè tergat: ſed ſtatim coercitus diſcat omnis homo: quia velum atrij domus domini ſanctum eſt. Item paulò pòſt, Si fortè quiſpiam preſbyter, ſiue diaconus, ſacrarij ſyndonem, vel velum, ſubtracta vendiderit, Iudę

Iſcariotis ſimilis æſtimabitur. Qui propter cupiditatem fecerit hoc opus: nouerit ſe ſupradicti Iudę ſuſcepturum pœnam. Clementi porrò Sixtus 6. ſedis Apoſtolicæ epiſcopus ſubſcribens, hæc ait, Cognoſcat veſtra ſapientia, Chariſſimi fratres, quia in hac ſancta ſede Apoſtolica, à nobis, & reliquis Epiſcopis, cæteríſque domini ſacerdotibus ſtatutum eſt, vt ſacra vaſa non ab aliis, quàm ſacratis dominóque dicatis tractentur viris: ne pro talibus præſumptionibus iratus dominus, plagam imponat populo ſuo. Et hi etiam qui non peccauerunt, mala patiantur, ne pereant: quia perit ſæpiſſimè iuſtus pro impio, &c. Similiter etiam Soter ſacratas inquiens Deo fœminas, vel monachas, ſacra vaſa, vel ſacratas pallas,

Epiſt. ad omnes epiſcop.

Epiſt. ad epiſcop. Italię.

penes

penes vos contingere, & incenſum circa altaria deferre perlatum eſt ad ſedem apoſtolicam: quæ omnia repræhenſione, & vituperatione plena eſſe, nulli rectè ſapiẽtium dubium eſt. Quod ſi & de luminaribus aliquid inſuper addendum eſt, Cap.4. Apoſtolic. Canon. illud ſcriptum eſt: Præter nouas ſpicas, & vuas, & legumina, ſuo tempore, licitum non eſto, aliud quidpiam admouere ad altare, quàm oleum in lampadem, & thymiama tempore ſanctæ oblationis. Ruſus cap.72. Si quis clericus, aut laicus, ceram, aut oleum, ex ſancta ſurripiat ecclesia, cõmunione ſeiungitor: inſuper & quintam partem apponat, ad id quod abſtulit. Cap. 4.

CAPVT QVINTVM de priſcis aliis Liturgię cęremoniis, iiſque ferè neglectis.

SVPEREST de pręcipuis aliquot Liturgiæ cæremoniis dicere. Etenim primùm omnium quærat aliquis, cur à preſbyterorum ordine, reliquorum pene graduum munia ferè exoleuerunt: vt iam preſbyteri non diaconorum tantùm, ſubdiaconorúmve, ſed & reliquorum, atque adeo Cantorum vicẽ ſubeãt: aut etiam laici, quin & pueri? Ad quæ primùm etiam reſpondebo, abuſus vtique, moréſue ab inſtituto maiorum alienos, haud ſuſcepiſſe me defendendos: quos nihilo ſegniùs

gniùs

gniùs(vt opinor) deploro, aut minùs ingratè fero, quàm illi vt parū verecundi, ita plus æquo anxij cenſores morum ſacerdotalium: quorum aſperſione, eccleſiam Dei fortè contaminari fateamur, aboleri verò negamus. Aut num protinus, vt labem aliquam clerus contraxit, ſimul etiam eccleſia à fundamento apoſtolico cui ſuperſtructa eſt, excidit? Quid verò dicat rurſus, cùm Theleſphorus antiquiſſimus Ro. ſedis epiſcopus ſtatuerit, hora tertia (excepta nocte natiuitatis Domini) celebrandas eſſe miſſas: quod ſacerdotes eas quacūque hora matutina celebrant? Reſpondemus, curiales miſſas adhuc hora tertia celebrari. Sed dicet, num preſbyteris licet, præſertim inter ipſa miſſarum ſolennia, peculiares miſſas vti paſ-

Ca Nocte ſancta. de conſecr. diſtio

ſim fit, celebrare? Tum certè demũ conquieſcent, cùm in vſum is Canon apoſtolicus reuocabitur, qui Vtopienſes præpoſitos minimè agnoſcẽs, vult presbyteros iuxta numerum eccleſiarum ordinari: ibíq; ſingulatim cõſtitui. Interim valde certè optarim, canonem ſaltem ob ſeruari, quo interdicitur illa tum tẽporis per ſacella peculiarium miſſarum celebratio. Nam eo quid in eccleſia Dei turbulentius? quídve confuſius? Quid verò dicetis, per eccleſias pſallendi ratio diuerſa, num apoſtolica eſt? Aut etiã inter ipſa miſſarum ſolẽnia interdũ interſerta, vel vernaculo ſermone cãtica? atque adeò ad virginem Mariam tum directæ cõſalutationes, num è traditione apoſtolica emanarunt? Quod ad primum attinet, de eo

Cap. Et hoc attẽdẽdum. de cõſe. diſt. 1.

Diſt. 12. c. placuit omnib⁹.

de eo ſic in concilio Bracarenſi ſtatutum legimus. Placuit omnibus communi conſenſu, vt vnus atque idem pſallendi ordo in matutinis, vel veſpertinis officiis teneatur: & nō diuerſæ ac priuatæ monaſteriorum conſuetudines, contra eccleſiaſticas regulas ſint permixtæ. Itē placuit, vt per ſolennium dierum vigilias, vel miſſas, omnes eaſdem & non diuerſas lectiones in eccleſia legant. Quod autem ad reliquū pertinet, iſthæc quoque ferunt pōtificij canones: Nō oportet ab idiotis, pſalmos compoſitos, & vulgares, in eccleſiis dici: neq; libros, qui ſunt extra canonem legere, niſi ſolos canonicos noui & veteris teſtamenti, &c. Rurſus, Item placuit vt veteris teſtamenti, nihil poeticè cōpoſitū in eccleſia pſallatur: & ſancti

Concil. Laodic. 59.

Cap. 30. Bracarē. Conc. I

ibidem. cti præcipiunt canones. Deniq;, Itē
Cap 22 placuit vt eodē ordine miſſæ celebrentur ab omnibus, quo profuturus quondam, huius metropolitanæ eccleſiæ epiſcopus, ab ipſa apoſtolicæ ſedis authoritate ſuſcepit ſcriptum. Quod ſi curioſiùs quis progrediens quærat, num licebat olim, vti nunc, cuiuis promiſcuè, non in templum modò, ſed in adytum, ſacrorum tempore ingredi: atque adeò ibi, vel etiam inter clericos reſidere? Is ſciat (vti iam obiter à nobis dictum eſt) laicos, vel etiam totius parociæ primores, cancellis olim ab adyto, choróque
Theod. lib 5 hiſtor ecc. cap. 18. pſallentium ſecerni ſolitos. Vnde etiam Theodoſio Imperatori quōdam, ab Ambroſio Archiepiſcopo
Huc pertinet ca 33. Brac. concil. per Archidiaconum mandatum legimus, cùm oblatis à ſe, inter ſa-

cra

cra miſſarum ſolennia muneribus intra cancellos reſiſteret, interiora ſolis ſacerdotibus patere, reliquis verò omnibus inacceſſa: proinde hinc abſcederet, & cũ reliquis maneret. Cæterùm diſiungebantur etiam tum, à viris fœminæ: atque in atrio, templíque veſtibulo conſidebant. Quid ſi quærat etiam, num inter miſſarum ſolennia, liber eſſet cuiuis vti nũc, exitus? Audiat pariter is 10. cap. Apoſt. Can. Omnes fideles introeuntes, & ſcripturas audientes, non permanentes autem in oratione, & ſancta communione, tanquam perturbationem ordinis in eccleſiam inducentes, à communione ſegregari oportet. Sed occurret nobis, & dicet, Quid illud quod laicis in communione permanendum eſt? quid item quod ſu-

prà ex Anacleto obiter commemoratum eſt, peracta conſecratione omnibus communicãdum, qui noluerint eccleſiaſticis carere liminib⁹? Nouerit is de clericis illud intelligi: non etiam de laicis. Atque in eam ſententiam, audiat cap. 9. Apoſtol. Canon. Si quis Epiſcopus, aut preſbyter, aut diaconus, aut quicunque ex ſacrato conſortio, oblatione facta non communicauerit, cauſſam dicito: et ſi bona ratione ſubnixa ſit, veniam promeretor. Sin minus dixerit, à communione excluditor: tanquam qui populo author offenſionis extiterit, mota cõtra eum ſuſpitione, qui obtulit. Etenim quod ad laicos attinet, licet priſcis illis temporibus, moris eſſet communicare dominicis quibuſque diebus (vt ſuprà ex

Iuſtino martyre licuit agnoſcere) ad id tamen quantum comperio, nulla lege cogebantur, modò ter in anno communicarent: vt ex Fabiani Rom. pont. vetuſtiſſimi decreto manifeſtum eſt, quo cautum eſt, vt ſi non frequentiùs, ſaltem ter in anno, homines communicent: niſi fortè quis maioribus quibuſlibet criminibus impediatur, in paſcha videlicet & penthecoſte, & natali Domini. Sed rurſus dicet, Cur à laicis oppidatim quidem pecuniæ, vicatim verò panes cuiuſuis generis, placentæ, quin & ſcriblitæ, & farcimina, & oua, & eius generis alia, inter miſſarum ſolennia ad altare Dei offerũtur? Quid quęſo, ſub ſole eſt, præter Petri fidem, eáque demum, ſine quibus commodè ſubſiſtere non poſſit: quod omni ex

Epiſt. ad Hilar. epiſcop.

parte conſtans & perpetuum ſit? Et cùm de religione quæſtio ſit, is vel priſcas vniuerſas religiones, quantumlibet terra, maríque, potẽtium principum authoritate ſubnixas, in noſtram ingruentes, graſſantéſque euoluat: quæque earum ſectatoribus ordinatiſſimè, atque inuictiſſimè viderentur, ſi fortè vllum iam earum veſtigium ſuperſit. Cæterùm quod ait is, illud vſu receptum in Dei eccleſia: quid hoc ad diſciplinam eccleſiaſticam impugnandam? perſonarum iſtud eſt, non diſciplinæ vitium. Neque enim Canones, interim aliud quid in ſacrificium, præter panem & vinũ ad altare Dei offerri permittunt. Vnde Fabianus, cuius ſuprà mentio facta eſt, oblationis legem ſanEad epi. ciens, hæc ſcribit: Decernimus, vt in

in omnibus Dominicis diebus, altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus fiat, tam panis, quàm vini: vt per has immolationes, à peccatorum ſuorum faſcibus liberentur. Quale verò dicet, iſtud ſuperius oblationis genus eſt, quod in ſacrificium à laicis oblatum, nec à ſacerdotibus interim ſacrificetur? & ſacrificare nefandum crimẽ ſit? Quàm alienum ſit ab apoſtolica traditione, hinc certè etiam perſpicuum eſt, cùm ne benedictionis quidem gratia, eiuſmodi ſpecies ad altare admoueri licitum ſit: ſicut 4. iam à nobis citato cap. Apoſtol. Canon. legitur his verbis, Præter nouas ſpicas, & vuas, & legumina, ſuo tempore, licitum nõ eſto aliud

tempore ſanctæ oblationis. Verùm nihil illud quoque ad Euchariſtiã, cuius adhuc Dei benignitate, nihilominus ratio manet incolumis. Quòd ſi quis vlteriùs progrediatur, & quærat, an id totum quod à plebe offertur: in ſacrificium etiam neceſſariò à ſacerdote conſecrandum, & conſumendum eſt, vtique de eo Clementem audiamus. Certè tanta inquit, in altari holocauſta offerantur, quanta populo ſufficere debeant. Quod ſi remanſerint, in craſtinum non reſeruentur: ſed cũ timore, & cum tremore, clericorũ diligentia conſumantur. Qui autẽ reſidua corporis Dominici quæ in ſacrario relicta ſunt, conſumunt: non ſtatim ad communes accipiendos cibos conueniant: ne putent ſanctæ portioni commiſceri cibũ, qui

Cap. 2 epiſt. 2.

qui p aqualiculos digeſtus, in ſeceſſum funditur, &c. Quid verò de eo fiat (quærat rurſus) quod conſecrationi ſupereſt? pariter Pium 9. Ro. pontif. audiat. De oblationibus (inquit) quæ offeruntur à populo, & conſecrationi ſuperſunt: vel de panibus, quos offerunt fideles ad eccleſiam: vel certè de ſuis presbyter (id eſt curio) conuenientes partes inciſas habeat in vaſe nitido: & poſt miſſarum ſolennia, qui communicare non fuerint parati, Eulogias omni die dominico, & in diebus feſtis, inde accipiant. Ad extremũ verò dicet forſan aliquis, Quomodò non illud quoque ab Apoſtolica traditione alienum videatur: vt ſtipes quæ in inſtauratione

inter ipſa miſſarum ſolennia, nec per laicos modò, atque hos interdum bigamos, ſed etiam alibi per fœminas, quin & alibi per virgines gregatim corrogentur? Idque magno cũ ſtrepitu nummorum, quos è lancibus geſtantes, dum data opera, collidunt: vt inde commonefacti curiales, & parœci, ex loculis qui volet, pecuniam depromat, vtique eccleſiam Dei obturbãt? Quin iſtud eiuſmodi ſit, haud equidem inficiari poſſim. Etenim ſi pomorũ primitias vt cap. 5. Apoſt. Can. ſancitum eſt, epiſcopo, & preſbyteris in ædes, nõ in templum verò mitti conuenit: quantò minùs ſtipes tem platim colligi par eſt? Sed enim quis neſcit, ibi ſtipem nulla ratione colligi à nummulariis, vnde Chriſtus ipſe cùm vendentes & ementes eii

ceret

ceret, ſimul & nummulariorum menſas euertit: qui tũ tamen perinde ac noſtri, ibi pietatis cauſſa aderãt? Sed quis neſcit templum, ſiue cogendis, ſiue permutandis pecuniis, præſertim inter ipſa miſſarum ſolennia, eſſe alieniſſimum? Sed forſan quęrat tandem aliquis, quis his ergo cogendis modus tenẽdus eſt? vtique earum corrogandarum modum liceat ex antiquis quoq; deſumere. Etenim Paulus in primis, de collectis, quæ per vnã ſabbati, id eſt, die dominico in ſanctos fiunt, hæc ſcribit: Vnuſquiſq; veſtrum apud ſe ſeponat, recondens quod ei bene placuerit. Tum Iuſtinus martyr in hunc modum de die dominico item mẽtionem

Ad Corint cap. vi.

bitratu, quod vult largitur: quódq; colligitur, & cogitur: apud cũ qui præeſt reponitur: íſque pupillis, & viduis, iiſque quos morbus, aliáve cauſſa inopes fecit: & iis, qui in vinculis ſunt, & hoſpitibus, omninóq; omnibus, qui aliqua indigentia premuntur, ſubuenit. Sic denique ea de re Tertullianus: Non enim de oneraria ſumma, quaſi redemptæ religionis congregatur: modicam vnuſquiſque ſtipem, menſtrua die, vel cùm velit, et ſi modò poſſit, apponit: nam nemo compellitur, ſed ſponte confert: hæc quaſi depoſita pietatis ſunt: nam inde non epulis, non potaculis, nec ingratis voratrinis diſpenſatur: ſed egenis alendis, humandíſque, & pueris, ac pupillis, re ac parentibus deſtitutis, ætatéque domitis ſenibus, ac naufragis,

Cap 39. apol ad uerſ. Gẽ.

gis, etſi qui in metallis, et ſi qui in inſulis, vel in cuſtodiis,&c. Quæ ſingula (vt hîc noſter tractatus finem accipiat) equidem ſic intelligenda exiſtimem: vt in gazophilacium tandem,ſtipes à curiali-
bus importari debeant. Luc 21.

PERORATIO OPERIS.

EXpoſui, vt potui,breuiter, ac ſimpliciter, ſummam paſchatis,ſacrificiíque dominici. Quo deficiente, viderint quibus vlla ſalutis cura eſt,quod ad nos àttinet,nobis minimè certè dubium eſt: non inquam, quin exemplo maiorum, veluti Græcorum qui iampridem iugum eccleſiæ Romanæ detrectãtes, ab eo nuper ſecundum arbitrium, libidinémque ſolui, inte

Dan. 9 & Matt 24. Hippol. itẽ lib de cõſummat. mũdi, &c.

no etiam iugo ſubiiciamur: verùm quin mox extrema temporum cõſummàtio, atque adeò præſentia iamiam aduẽtantis domini noſtri Ieſu Chriſti expectanda ſit. Cui honor & gloria, in ſecula ſeculorum. Amen.

Finis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Errata ſic corrigito.

Pag 1 Præfat d dicerint legendum, non didicerunt.
Pag. 3. Præfat. Neotericorũ legendum: nõ næotericorũ.
Pag. 12. vbi hoc ipſe, hoc enim ipſe legendum eſt
Pag. 13. vbi legitur 55. 5 legendum eſt.
Pag. 36. vb. cum accepto. legendum cum accepto.
Pag 41. vbi legitur & ipſis, tollendum &.